Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0006-3
DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts

Acta Secvlaris Sacri Academiae Vitembergensis, Anno M DCCII. XV. Kal. Novemb. Auspicio Potentissimi Principis Friderici Avgvsti, Sarmatiae Regis, Et Saxoniae Electoris, Solenni Festoqve Ritv ...

August <Sachsen, Kurfürst, II.>

Vitembergae Saxonvm, 1704

urn:nbn:de:gbv:3:1-322977

Visual Library

ACTA
SECVLARIS SACRI
ACADEMIAE
VITEMBERGENSIS,

ANNO cIↃ IↃccII. XV. KAL. NOVEMB.

AVSPICIO

POTENTISSIMI PRINCIPIS

FRIDERICI AVGVSTI,

SARMATIAE REGIS, ET SAXONIAE ELECTORIS,

SOLENNI FESTOQVE RITV CELEBRATI,

AVCTORITATE PVBLICA IN LVCEM EMISSA.

VITEMBERGAE SAXONVM.

Sumptu CHRISTIANI THEOPHILI LVDOVICI,

BIBLIOPOLAE ACADEM.

cIↃ IↃccIIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0007-8

DFG

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0008-4

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO

AVGVSTO II.

REGI POLONIARVM, MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, KIOVIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, ZERNICHOVIAE,
ETC. ETC. ETC.
DVCI SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, ET MONTIVM, ANGRIAE, ET VESTPHALIAE, S. R. I. ARCHIMARESCHALLO ATQVE ELECTORI, LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, ET VTRIVSQVE LVSATIAE, BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI, COMITI DIGNITATE PRINCIPALI HENNEBERGICO, COMITI MARCAE, RAVENSBERGAE, ET BARBY, DYNASTAE RAVENSTEINII,
ETC. ETC. ETC.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO,

DVCI SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, ET MONTIVM, ANGRIAE ET VESTPHALIAE, S.R.I. ELECTORATVS SAXON. HEREDI, LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, ET VTRIVSQVE LVSATIAE, COMITI DIGNITATE PRINCIPALI HENNEBERGICO, COMITI MARCAE, RAVENSBERGAE, ET BARBY, DYNASTAE RAVENSTEINII,
ETC. ETC. ETC.

PRINCIPI IVVENTVTIS, ET RECTORI VITEMBERGENSIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,

REGI, ELECTORI, ET DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,

PRINCIPI REGIO ET ELECTORALI, AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,

DEVOTISSIMA ET OBSEQVENTISSIMA

ACADEMIA VITEMBERGENSIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0009-3
DFG

SERENISSIME ET POTENTISSIME REX, ELECTOR ET DOMINE CLEMENTISSIME,

ET

SERENISSIME PRINCEPS REGIE ATQVE ELECTORALIS, DOMINE CLEMENTISSIME.

IN conſpectu Regis longa oratione nihil opus eſt, qui quanto ceteros homines Maieſtate ſua antecedit, tanto diviniorem inter gentes venerationem iure ſuo depoſcit. Rex Deo proximus, coeleſti numine datur mortalibus, ut Deum in terris auctoritate referat, et populos in Regnum, Regnique provincias deſcriptos, auſpicio atque imperio regat ac moderetur. Salvo Rege, ſalva eſt reſpublica, et maiorum inſtitutis floret, temporumque viciſſitudini reſiſtit. Quam felicitatem Deus Regnorum conditor, rerumque omnium parens largitur, et labores, moleſtiaſque omnes minuit, ac fructu immortalitatis compenſat. Germania et Vngaria teſtes ſunt periculorum, abs T. R. Maieſtate ſuperatorum. Polonia ultro invitavit, ac Regnum obtulit ſponte et contulit, ſuffragiisque conſentientibus rite confirmavit, mirata regias dotes Tuas, priuſquam Regnum inires. Illa Te non ut hoſpitem accepit, ſed Regem delegit, Regnique patrem eſſe voluit, quem fide coleret, et honore officiisque conſtanti-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0010-4 DFG

ſtantibus proſequeretur. Quod fieri potuiſſe, nemo ante credidit, ſed nihilominus, Deo Regum fata diſpenſante, factum eſt, ut cuncti Poloniae Senatores, et congregati pariter ex ordine equeſtri Proceres, Saxonem, caput Saxonum, et Regiae ſtirpis Principem, Regio inſigni digniſſimum cenſerent, et regni cauſa acciri vellent, peterent ac poſtularent, magnoque et incredibili voluntatum conſenſu, aliis omnibus praeferrent, Regemque more maiorum crearent. Tanta eſt magnitudo nominis et gloriae Tuae, ut in extremam usque Sarmatiam pervaſerit, et prius TE electum Regem viderit Europae orbis, quam audierit, ſummos Regni Ordines Proceresque conveniſſe ad TE eligendum. Poſtea electum, et in ſolio impoſitum Regem gratulatione ſua vicini remotique Reges proſecuti, non fortunae, ſed divinae cuiusdam providentiae opus agnoverunt, et admirati ſunt, ac literis ſermonibusque celebrarunt. Mox et Saxonia officio ſuo functa, nec Poloniae invidere auſa, Regis abſentiam aequo animo tulit, et ſemel atque iterum adventu eius recreata, in certamen obſequii venit, maximeque hanc Academiam, legum et literarum altricem, ad venerationem cultumque exemplo ſuo excitavit. Multae autem, et graves inprimis cauſae nos movent, quamobrem id faciamus, qui artes bonas publice docemus. Nam honeſto abs Tua Regia Maieſtate ſtipendio conducti, fruimur, ut antea, noſtris bonis, et difficilimis etiam temporibus, ſtudiorum dignitatem pro ſuis quisque viribus publice et privatim tuemur. Quae felicitas cum in noſtris vitae rationibus maior eſſe non poſſit, tum nihil, quod Regali Tua munificentia, Deo hominibusque approbantibus, divinae humanaeque

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0011-0 DFG

doctrinae opes colligimus ſecure et cumulamus, proque his tanquam pro aris et focis, ſub ſcuto et clypeo Regiae Maieſtatis Tuae, armis induſtriae et ingenii experimur indies et propugnamus. Demum animos in pietate et memoria talium tantorumque beneficiorum defixos, in clariſſima literarum luce profitemur, quod ſplendorem ſacri Academiae ſecularis, dato nobis Praeſide ac Propugnatore ſtudiorum Filio unico, augere Tua Regia Maieſtas voluit, et mediocres Academiae fortunas regali ſumptu adiuvare. Vtrumque tam clementer, quam glorioſe abs Tua Regia Maieſtate ſuſceptum et perfectum eſt, quod ne poſteritas neſciat, enixe cavendum eſt, et gratae mentis monimentum publice conſtituendum, in quod omnes tanquam amplificati literarum honoris, et cumulatae benignitatis exemplar deinceps intueantur. Quod gloriae patrimonium a maioribus relictum, et multis acceſſionibus locupletatum, atque in Herede Saxoniae Electoratus Filio continuatum, ut maneat, et tranſmittatur ad poſteros, noſtro omnium voto divina benignitas praeſtet, ſoliumque Regiae Tuae Maieſtatis, et ſedem potentiae, contra ancipites caſus, et dubias rerum vices, temporumque iniurias muniat, ac firmiſſimis ſemper praeſidiis defendat. Id quod nos tot meritis obligati, tantisque beneficiis aſtricti, honoribus inſuper cumulati, ac regalis clementiae magnitudine permoti et confirmati, ſuſceptisque tot laborum praemiis laeti, atque erecti, cum piis omnibus, et pariter eruditae ſocietatis foedere nobiſcum coniunctis, precamur ſupplices, Deumque Regum Statorem, religioſe obteſtamur. Vitembergae Saxonum Idibus Aprilibus A.R.S. CIↃ IↃCC IIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0012-6 DFG

INDEX

Programmatum pariter atque orationum, quae in sacri Academiae secularis historia extant,

compositus

a

G. G. K.

I. Programma Academiae, significans festam solennemque Magnificentissimi Rectoris, ad Kalendas Maii A. cIↃ IↃcCII renunciationem.

II. D. C. Vateri, magistratu academico abeuntis, ac fasces Magnificentiss. Rectori, solennissime creato, submittentis, oratio.

III, IV, V, VI. Carmina Germanica in fidem demississimi cultus composita.

VII. Programma, quo secundi inaugurationis Academiae seculi, solenni ritu, ad diem XV Kal. Novembr. qui in fastis Lucae nomen praefert, celebrandi institutum, Rectoris Magnificentiss. auctoritate, promulgatur.

VIII. D. C. Loescheri concio sacra, praeparationis gratia, ad instituendam celebritatem secularem, pridie, in templo Mariano, habita.

IX. D. I. G. Neumanni concio sacra, ipso Lucae die, eoque seculari, in templo arcis, horis matutinis habita.

X. Carmen Teutonicum, sententiam diviniorem Ps. CXXVI, commat. 2, 3, continens, quod alternis vicibus, in summis duobus, e regione, templi locis, symphoniaci, post orationem, modulati sunt. Auctore D. I. G. N.

XI. Prorectoris I. C. VVichmanshausii oratio, qua coram patribus Academiae, ante aram, munere suo se abdicans, sententias de successore denuo perquirit.

XII. D. P. L. Hannekenii, senatusconsulti interpretis, responsio.

XIII. I. C. VVichmanshausii sermonis continuatio, qua D. I. G. Neumannum novum Prorectorem veteri formula salutat.

XIV. D. I. G. Neumanni, constituti, in futurum semestre, Prorectoris, sermo, quo, delatam dignitatem lubenter se susceptum, profitetur.

XV. I. C. VVichmanshausii, magistratum academicum, more maiorum solennissimo, deponentis, novumque declarantis, oratio.

XVI. C. S. Schurzfleischii oratio secularis.

XVII. D. P. L. Hannekenii, brabevtae, oratio.

XVIII. D. C. Loescheri responsum, quo, pro auctoritate Decani ac Procancellarii, potestatem Doctores Theologos creandi permittit.

XIX. D. G. Svevi, candidatis iuris nomen atque insignia Doctoris rite impertientis, oratio.

XX. I. H. Bergeri, IC. Decani ac Procancellarii, responsio, qua renunciandi Doctores iuris facultatem concedit.

XXI. D. G. Svevi formula solennis renunciationis.

XXII. D. I. G. Bergeri, conferentis summos artis medicae honores, oratio.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0013-1 DFG

XXIII. D. P. G. Sperlingii, Procancellarii, responsio, qua honores medicinae candidatorum, festo ritu ceremoniisque, amplificanti auctoritatem publicam impertitur.

XXIV. D. I. G. Bergeri sermo, ritus renunciationis, a maioribus institutae, ac potestati suae modo permissae, complectens.

XXV. Oratio recens declarati Doctoris, qua, suo pariter ac reliquorum nomine, gratias agendi officium praestat.

XXVI. Programma I. A. Planeri P. P. Decani Ordinis Philosophici, quo ingenuarum artium candidatis solennia secularia capessendi maximum sapientiae decus, cum invitatione, denunciantur.

XXVII. I. G. Bergeri, P. P. Decani et Procancellarii, carmen seculare, antequam philosophiae doctores inaugurarentur, in templo arcis recitatum.

XXVIII. D. I. B. Roeschelii allocutio, qua competitores, in summo honoris sapientiae gradu hos ipsos locandi causa, instituto veteri convenienter commendat.

XXIX. I. G. Bergeri responsio, ipsaque solennis magistrorum creatio, ex praescripto et formula Philippi Melanchthonis, Collegio sapientum usitata.

XXX. Ordo candidatorum, qui, a praeteriti semestris Decano, succedenti, ad decreta literarum praemia persolvenda, de manu quasi in manum traditi, amplissimam in philosophia dignitatem adepti fuerunt.

XXXI. Quaestio a Volckerto Stephano, Hamburg. eodemque primo philosophiae Magistro, recens creato, proposita.

XXXII. C. S. Schurzfleischii responsio ad propositam quaestionem.

XXXIII. Gratiarum actio, quam, finita renunciationis ceremonia, secundus bonarum artium Doctor recitavit.

XXXIV. Programma Academiae ad orationem, alumnorum nomine, recitandam publice, auditores invitans.

XXXV. M. Christoph. Henr. Zeibichii, Ordin. Philos. Adi. oratio secularis, in auditorio maiore dicta.

XXXVI, XXXVII, XXXVIII. Gratulationes, quibus Academiam, natalis sui memoriam celebritate renovantem, nonnulli absentes prosequuntur.

ACCESSIO.

XXXIX. Io. Henrici Bergeri IC. consulatu academico cIↃ IↃc cIII tertium perfuncti, de Iureconsultis seculi superioris, in Academia VVittebergensi, oratio.

XL. Georg. Gvil. Kirchmaieri expositio rerum singularium, quae, superiori Academiae seculo, hic evenerunt.

XLI. Ordo et series Rectorum Acad. VVitteberg.

XLII. Ordo et series Professorum. ordinar.

Brevis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0014-7 DFG

Breuis commemoratio eorum, quae cum ante solennia Sacri secundi Academiae Vitembergensis, tum in ipsis quoque peractis postea solennibus gesta sunt.

ANnus agebatur supra millesimum, septingentesimum, secundus, cum Academia Vitembergensis, pietatis suae memor, auspicii renovaret memoriam, et secundum originis suae seculum celebraret. Quod accidit, et festo ritu peractum est XV. Kalend. Novembris, qui dies ab Lucae nomine dictus, et celebrando Academiae seculari est consecratus, cum ut Deo immortali solennis pro tot tantisque beneficiis gratiae agerentur, tum ut Saxonum, qui constituissent et conseruassent hanc studiorum sedem, merita publice collaudarentur, grataeque posteritati transmitterentur. Idcirco consultationes in frequenti Patrum senatu habitae, et eo institutae sunt, ut omnia ex dignitate ordinis fierent, solenniaque pompae decus literarum seruarent. Quae res Patres permouit, ut de hoc instituto ad purpuratos Aulae referrent, eorumque sententiam in Consilio sanctiore, et ecclesiastico perquirendam existimarent: ab his cognita et approbata, Patribus fiduciam attulit petendi ab Rege Poloniae et Electore Saxoniae munificentissimo, ut sumptuum erogandorum causa, regiae liberalitatis fontes aperiret, et gloriosissima maiorum, eorumque Statorum et Nutritorum Academiae exempla imitaretur. Quo autem maiori cuncta splendore, et literarum incremento apparari possent, Regi indulgentissimo visum est, ut Academiae

Kurtze Erzehlung desjenigen/ was vor/ bey/ und nach den andern von der Vniversität Wittenberg celebrirten Iubilaeo Academico passiret und vorgegangen.

NAchdem das andere Jahrhundert von Stifftung der Vniversität Wittenberg zu Ende lieff/ und selbige in Begriff war/ ihr zweytes Iubilaeum den 18. Octobris des 1702ten Jahrs dem Allerhöchsten zu ewigen Danck/ denen Durchlauchtigsten Stifftern und Erhaltern zu immerwährenden Ruhm/ und der Nachkommenschafft zu erkändtlichen Andencken hochfeyerlich zubegehen/ trat ersagte Vniuersität zuvor in unterschiedene deliberationes, damit alles/ so viel möglich/ wohl und ordentlich hierbey angestellet werden möchte/ dahero zuförderst **dem hochlöblichen Chur-Sächsischen Geheimen- und Kirchen-Rath/ und/ alß solches daselbst approbation gefunden/ ferner Ihr Kön. Maj. in Pohlen/ und Churfl. Durchl. zu Sachsen/ Ihren allergnädigsten Herrn/** und preißwürdigsten Nutricio, in allerunterthänigster Devotion, sie ihr Vorhaben eröffnete/ und umb allergnädigste indult und mildeste Verordnung wegen derer dabey erforderten hohen Speesen/ insonderheit aber/ damit solches festein mit desto größerer celebrität und Auffnehmen der Vniuersität begangen werden möchte/ umb allergnädigst Verstattung Ihro Königl. Hoheit/ Dero Chur-Printzen/ zum Rectore Magnificentissimo zuerwehlen/ allergehorsamste Ansuchung gethan.

Alß nun Ihro Königl. Majest. dieses Dero treugehorsamsten Vniuersität allerunterthänigstes Bitten in allen stücken allergnä-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0015-3 DFG

miae submisse roganti, Filium regali dignitate unicum, caput praesidemque imponeret, non aduersari precibus, sed augere literarum gloriam, et coetum honore tanti cohonestare Principis, quo nullus in Saxonia maior, nullus in dignitatis fastigio altior, excelsiorque esset. Cum Rex Academiae petitioni annuisset, et XVII. Kalend. Mai. datis Varsauia literis ad Senatum Sanctiorem rescripsisset, et eam Regis voluntatem Senatus summa auctoritate Ecclesiasticus VI. Kal. Maii Academiae significasset, haec pro sua in Regem fide, et religione obsequii singulare illud beneficium, indulgentiam, et munificentiam incomparabilem grata piaque mente agnouit, et pro eo ac par erat, praedicauit.

Posthaec Serenissimo iuuentutis Principi, et dignitatis EL. Heredi, summum Academiae regimen, maxima animi submissione delatum, et superiori die festo, qui in pridie Kal. Maii inciderat, tabulis publicis in foribus templi affixis, omnibus ac singulis ciuibus, ac literarum cultoribus denunciatum, et rite promulgatum est, sic ut cuncta ad inaugurationis solennia, Kalendis Maii instituenda, sine exceptione parata, expeditaque forent.

Pridie Kalendas Maias D. Caspar Loescherus sacrorum Antistes, in cogitationem regalis beneficii ingressus, pro concione exposuit, et religiose declarauit, quid, et quantum Deo, Regique Academia referret acceptum, quod Regis Filio, gentis suae Principi, regenda committeretur. Placato sacris Numine, Rector Academiae, Christianus Vaterus, Doctor medicus, priusquam magistratu abiret, per ministros suae quemque domi appellare iussos, inuitauit Patres Academiae, et omnes docendi consuetudine coniunctos, sapientumque Collegio ascriptos; inprimis autem illustri loco natos Barones liberos, et publica auctoritate constitutos Assessores, ac Professores extra ordinem creatos, Doctores, et dignitatis eius capessendae facultatem rite adeptos; praeterea regiorum, principaliumqve munerum cum ampliffima dignitate curatores, tum consules et senatoriae dignitatis socios, deinde sacri ordinis Viros, et sacerdotes, cum his denique scholae oppidanae praeceptores et paedagogos, ut postero die, quem Kalendae Maii signabant, mane, hora nona, in maiore D. Friderici collegio fre-

digst placitiret/ und dieserwegen an Dero hochlöbliches Geheime Raths-Collegium de dato Warschau/ am 15. Aprilis, 1702. rescribiret hatten/ wurde solches durch ein eigen Rescript aus dem hochlöblichen Kirchen-Rath/ de dato Dreßden den 26. Aprilis, eiusd. anni der Vniuersität notificirt, und von ihr/ als ein unvergleiches Merckmahl Königl. munificenz und Gnade/ mit allerunterthänigsten Danck angenommen/ hierauf Ihro Königl. Hoheit dem Durchlauchtigsten Chur-Printzen Rectoratus Academiae in unterthänigster Devotion angetragen/ Sonntags vorher als den 30. Aprilis durch ein angeschlagenes Patent männiglich kund gemachet/ und zu der solennen proclamation auf folgenden Tag/ als den 1. Maii ferner alles folgender massen veranstaltet.

Den 30. Aprilis nach gehaltenen Gottes-Dienst/ da in der verrichteten Ambtspredigt der Hr. General Superintendens D. Löscher die von Ihro Königl. Maj. der Academie erwiesene hohe Gnade/ durch Schenckung Dero Königl. Printzens zu ihren Oberhaubte/ allerschuldigster massen gerühmet/ und männiglich zu einer heiligen Freude/ und inniglichen Danck anermahnet/ wurde von dem Rectore Magnifico, Herrn D. Christian Vatern/ Pathol. Prof. Publ. et Physico Provinc. Saxon. nicht nur das Corpus Academicum, und alle der Vniversität zugehörige und immatriculirte Personen/ insonderheit die Herren Barones, Assessores Facultatum, Professores extraordinarii, Doctores et Licentiati, etc. sondern auch die Königl. und Churfürstl. Herren Beambten/ so wohl Bürgermeistere und Rath/ wie auch die Herren Geistliche und Schul Collegen/ daß sie folgenden Tages/ frühe umb 9. Uhr in den großen Auditorio Collegii Friderici erscheinen möchten/ durch der Academie Diener invitiret/ gestallt durch vorgedachtes Patent denen Herren Studiosis sich auch zu solcher Zeit besagtes Orthes einzufinden/ allbereit intimiret worden.

Hierauf wurde den 1. Maii, als am Tage der Rectorats-Verwechselung/ frühe von 5. bis 6. Uhren von den Thürmen der Stadt-Kirchen/ mit allerhand Musicalischen Instrumenten der Anfang der Solennität gemachet. Ferner

von 6. bis 7. Uhren so wohl in Templo Acade-

frequentes, officiique memores conuenirent. Ciues literati, iam ante erant admoniti, tabulis eam ad rem publico nomine scriptis, et promulgatis, ut eodem tempore adessent, areamque Collegii, unde exeundum esset, rebus apte compositis, frequentarent.

Ipsis autem, quas diximus, Kalendis Maii, quibus inaugurationes Rectorum Academiae more maiorum fiunt, ab hora quinta matutina ad sextam, ex turribus templi oppidani canebant litui, buccinae, et tubae tympanaque sonabant.

Ab hora sexta ad septimam, in utroque templo, Academico, et oppidano, signum est omni aere Campano datum.

Hora circiter octava Professores ad unum omnes in aedibus Rectoris Academiae, D. Vateri, se congregarunt.

Hora fere nona reliqui invitati, in Auditorio maiori ad societatem pompae, alii post alios comparuerunt: at studiosi Iuvenes, in area Collegii Fridericiani iusto ordine constiterunt.

Hora prope decima, Rector Academiae, et Professores in Auditorium ingressi, inter concentus Musicos aliquandiu se tenuerunt.

Inde Patres, cum nullo ordine alio permixti, processerunt ad Templum Arcis, ascitis in societatem comitatus sui viris, qui Academiae fide coniuncti, a commentariis sunt, et a curatione aerarii, in quod facultates, fructusque praediorum inferuntur. Praeibant Musici, quos e vestigio secuti sunt duo Academiae ministri, tunicis induti coccineis, qui sceptra duo argentea praeferebant.

Hos totidem Academiae ministri eodem habitu, et cultu, toridemque sceptris subsequebantur: post quos praedicti supra, et invitati hospites, frequenti numero, incedebant.

Postea chorus Musicorum cum tubis et tympanis aderat, quem studiosi Iuvenes, pro dimidia parte, frequenti, et decoro ordine, quaterni post quaternos excipiebant; his ductores additi, res ceremoniasque inter suos usque quaque moderabantur.

Mox alia Musicorum turba superueniebat, et tibiis Gallicis canebat, quam reliqui ciues Academiae, suo quisque ordine subsequebantur. Ita vero agmen uniuersum ex Collegio Fridericiano per regionem urbis, cademico, als in der Stadt-Kirchen/mit allen Glocken gelautet. Wornach

Gegen 8. Uhr die sämbtlichen Herren Professores bey dem Rectore Magnifico, Herrn D. Vatern in dessen Behausung sich versamlet/ und

gegen 9. Uhr die andere invitirte sich einzelen nach einander in großen Auditorio eingefunden/ die Herren Studiosi aber auf dem Platze des Collegii Fridericiani sich rangiret:

Endlichen gegen 10. Uhren die sämbtlichen Hn. Professores cum Rectore Magnifico, auch daselbst angelanget/ und eine weile unter währender Music daselbst verharret:

Bis nach verlauff einer kurtzen Zeit Rector Magnificus in gefolg derer sämbtlichen Professorum, wie auch des Proto-Notarii und Fisci Verwalthers/ als Incorporatorum, sich von dar erhoben/ und den Anfang zur Procession in Templum Academicum gemachet/ da denn die Stadt Musici, wie auch zweene Ministri Academici, mit Carmoisin farbenen langen Röcken/ und 2. Silberne Scepter führende voran gegangen.

Hierauff folgeten nach dem Corpore Academicis ferner 2. Ministri mit dergleichen langen Röcken/ und Silbernen Scepteren/ welchen die übrigen Vorbenente invitirte in starcker Anzahl folgeten.

Nach diesen praesentirte sich ein Chor Musicanten mit Trompeten und Paucken/ auf welche die helffte derer Hn. Studiosorum in sehr ansehnlicher Anzahl/ und schöner Ordnung/ ie 4. und 4. in einen Gliede/ giengen/ geführet von 6. derer Aeltisten in einen Gliede/ welche das gantze Werck bey denen Herren Studiosis dirigiret.

Hiernächst folgete wiederumb ein Chor Musicanten mit Hautbois, und hierauf die andere helffte derer Herren Studiosorum in vorgedachter guter Ordnung. Und gienge solchermassen die völlige Procession von Collegio Friderici, durch die Collegen-Gaße/ über den Marckt/ und ferner durch die Schloß-Gaße in das Templum Academicum, oder Schloß-Kirche. Bey welcher Gegend dem Durchlauchtigsten Printzen und Rectori Magnificentissimo zu

bis, a Collegio dictam, praeter forum, per eam viam, quae fert ad arcem, in templum Academicum intrabat. Proxime illud in honorem Serenissimi Principis, eiusdemque Magnificentissimi Rectoris, praesidium castri, ritu et pompa militari, celebritatem illius diei, sonantibus tympanis, tibiisque augebat.

In templo Arci contiguo, ad dextram, e regione exedrae eius, in qua Rectores Academiae creantur, Rectoris Magnificentissimi solium aliquot gradibus sublatum, holoserico, et filamentis aureis exornatum, conspiciebatur, in quo, sub umbella, erat sedile ansatum, eodem modo coopertum, ante solium vero mensula panno rubro, eoque Damasceno contecta stabat, in qua Academiae sceptra, et reliqua eius insignia, cum Rector dignitate se abdicaret, reponebantur. Quo in loco Praefectus vigiliarum maior, Eques Saxo Taubenheimius, qui pro absente generali vigiliarum Praefecto, Barone Rosa, et pro Tribuno Bironio, Curono Equite, tunc curabat, rogatu Academiae aliquot minorum ordinum ductores, submittebat, qui bipennibus, telisque more castrensi armati, consistebant; In ipso templi ingressu rei diuinae auspicia a choro symphoniacorum pie, religioseque fiebant.

In aedem arcis ubi uentum est, aes Campanum pulsari desiit, mox Rector Academiae, et Professores universi, in choro versus aram subsellia sua quisque occuparunt: alia hospitibus in choro assignata: ciues ad editiora templi loca se contulerunt.

Paruo tempore interiecto, Rector Academiae, et ordinarii Professores, simul cum Academiae Commentariensi, et duobus ministris more consueto in sacrarium descendebant, et superiorem electionem rite factam, auspicato repetebant, similiter atque vicarium administrandi munus, Ioanni Christophoro Vichmanshausio, lingvarum Orientalium Professori gerendum, confirmabant. Interea duo ministri sceptra tenentes apud exedram stabant, cantusque symphoniacorum non intermittebantur.

His solenniter peractis, semestris hyberni Rector, et instantis aestivi recens creatus Prorector exedram ingressi, seorsim a Patribus loco ad eos capiendos delecto, stabant: hi autem ad suas quisque sedes revertebantur. Vaterus antequam depone-

Ehren/die allhier liegende Guarnison/sich in ansehnlicher Parade mit klingenden Spiel praesentirte.

In der Schloß-Kirchen zur rechten seiten der Catheder, auf welchen die Rectores Academiae renunciiret werden/ war vor Ihro Königl. Hoheit/dem Rectore Magnificentissimo ein etzliche Staffeln erhabener mit rothen Sammet/uñ göldenen Frangen bekleidete Thron verfertiget/ auf welchen unter einen Baldachin, ein auf eben solche Arth überkleideter Lehnstuhl/ vor dem Thron aber/ ein mit rothen Dammast belegtes Tischgen stunde/ auf welches die Scepter/ und andere Insignia Academiae, bey Ablegung des Rectorats niedergeleget wurden/ und befanden sich daselbst einige/ von den in abwesen des Herrn General Maiors Baron von Rosens/und Herrn Obristen Birons/ Commando allhier führenden Herrn Maior von Taubenheim/ auf beschehenes Ansuchen/ commandirte Unter-Officirer mit kurtzen Wehren/ und wurde bey dem Eintritt in die Kirche der Anfang mit der Music gemacht.

So bald man in der Kirche/ in welcher so lange mit lauten angehalten worden/ angelanget/ betraten Rector Magnificus, und sämbtliche Herren Professores ihre am Chor erbauete gewöhnliche Stühle/ denen anderen wurden auch gewiße Stellen in Chor angewiesen/ die Herren Studiosi aber begaben sich auff die Empor Kirchen.

Nach einer kleinen weile verfügte sich Rector Magnificus, und sämbtliche Professores Ordinarii, nebst den Proto-Notario Academiae und zweyen Ministris, gewöhnlichermassen in die Sacristey/ wiederholeten/ und verrichteten daselbst die Wahl des Rectoris Magnificentissimi, wie auch des Pro-Rectoris, welche lezte-re dieses mahl Herrn Johann Christoph Wichmannshausen/ Lingu. Orient. Prof. Publ. betraff/ da indessen die anderen beyden Ministri cum Sceptris vor den Catheder aufwarteten/ und mit der Music angehalten wurde:

Hierauff begaben sich so wohl der zeitherige Rector, als neu erwehlete Pro-Rector auff der Catheder, die Herren Professores aber betraten wieder ihre gewöhnliche Stühle/ und hielte vor der resignation des Rectorats der bisherige Rector Herr D. Vater eine Lateinische Oration.

Ich

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0018-0 DFG

poneret prouinciam, orationem habuit instituto huic accommodatam, Regiqve imprimis, Academiae Nutritori, gloriosam. Inde hymnus cani coeptus, ut implorato diuini Spiritus auxilio, faustum rei huius gerendae, capitisque constituendi initium esset. Finito hymni cantu, regali dignitate Princeps, et Saxoniae EL. Heres FRIDERICVS AVGVSTVS Rector Academiae Vitembergensis Magnificentissimus, interprete D. Vatero, solennissime renuntiatus, et inauguratus est publica et solenni formula, creandis magistratibus recepta. Cumque hoc Principe et praeside ordinis summo, Academiam novo coelesti beneficio auctam, et cumulatam dixisset, sermone ad cives Academicos converso, eos commonuit graviter, ut religione obsequii, & sanctitate moris, tanto se dignos capite praestarent, et doctrina, et exemplo decus studiorum amplificarent. Quae dum fierent, insignia Academiae a ministris, summae demissionis argumento, deponebantur.

Perducta ad finem inaugurationis ceremonia, chorus canentium modulatus est melos, modis numerisqve Teutonicis confectum, ut pietatis aeque, ac gratulationis Rectori Principique maximo documentum daret. Aliquanto post de statione sua decedens, Vichmanshausium futuri Prorectorem semestris renunciavit, eidemque consueta magistratus insignia sermone Latino usus tradidit.

Haec ubi facta atque transacta sunt, post abdicationem Rectoris rite institutam, recens designatus Prorector, comitantibus eum doctoribus Theologis, ad aram templi adductus est, cũ quo illi flexis simul genibus, Deo supplices manus tendebant, animosque religionis fiducia erigebant, ut pro tot tantisque collatis in Academiam beneficiis, Numini aeterno gratias persolverent, aliisque sensum pietatis, et venerationem commoverent. Eodem tempore frequentissimus in templo coetus concinebat veterem hymnum, qui Ambrosianus nominatur. Qua in re conspirabant omnes, et Dei benignitatem vocibus fidibusque collaudabant, et pro salute publica Patriae pariter atque Academiae, magna pietatis contentione Deum precabantur. Mox templum personuit vocibus civium, ter novo Rectori acclamantium.

Tandem secularis illa, et memorabilis, magnaque celebritas laetis plaudentium gratu-

in welcher er die von Sr. Majest. der Vniversität erzeigte hohe Gnade und Munificenz gantz sonderbar rühmete. Nach deren Endigung wurde das Veni Sancte Spiritus musiciret / und hiernächst Ihro Königl. Hoheit / der Durchlauchtigste Fürst und Herr / Herr FRIDERICVS AVGVSTVS, Hertzog zu Sachsen / Jülich / Cleve und Berg / auch Engern und Westphalen / Chur-Printz / etc. etc. etc. als Rector Academiae Vitembergensis Magnificentissimus, von wohlgedachten Herrn D. Vatern solennissime proclamiret / gegen Dero Durchlauchtigstes Haubt zu allen unterthänigsten Respect und Gehorsam sämbtliche Cives Academici mit ernst ermahnet / auch die Insignia Academiae auff das vor den Thron Rectoris Magnificentissimi stehende Tischlein niedergeleget.

Auff beschehene Proclamation wurde wieder musicirt / und Rectori Magnificentissimo zu unterthänigsten Ehren und gehorsamster congratulation eine Deutsche Arie abgesungen. Nach deren Verlauff renunciirte der Exrector Herrn Prof. Wichmanshausen zum Prorectore istius semestris, und übergab ihm die gewöhnliche Insignia, ebenfalls in einer Lateinischen Rede.

Worauff der abgehende Rector und neuerwehlte Prorector, in Geleit derer Herren Theologorum vor den hohen Altar traten / daselbst niederknieten / und mit erhabenen Händen und Hertzen Göttliche Majestät vor solche und unzehlich andere der Vniversität verliehene Gnaden-Wohlthaten unter dem Gesang des Te Deum Laudamus, in Geist-eiferiger Andacht / mit allen Versamleten / Danck sagten / ihren perpetuirlichen Wohlstand ferner verbathen / und unter Trompeten und Paucken-Schall durch ein dreymahliges freudiges Zuruffen:

Vivat Fridericus Augustus, Rector Academiae Magnificentissimus!

Dem gantzen actui seine Endschafft gaben / und wurde hierauff Ihrer Königl. Hoheit / Rectori Magnificentissimo, so wohl von den sämbtlichen Coetu Studiosorum, als insonderheit von dem in Wittenberg der Zeit studierenden Adel / und Convictorio publico, in verschiedenen wohlgesezten Carminibus gratulatoriis die unterthänigste devotion bezeiget.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0019-8 DFG

gratulationibus concludebatur. Cives in communi gaudio, praeterquam quod multa exultantium animorum signa dabant, carminum quoque, ingenio, et industria elaboratorum, testimonio, laetitiam comprobare gestiebant, non tantum universe, sed etiam sigillatim Iuvenes nobili loco nati, et publici perinde convictus alumni.

Cum appropinqvaret dies sacro seculari insignis, nomine Rectoris Magnificentissimi postridie Kalend Sextileis A. cIↃ IↃccII. scripto publice edito, omnibus et singulis, cum indigenis, tum alienigenis institutum Academiae tempestive significatum est, missumque eius rei causa exemplum ad Academiam Lipsiensem, qvo id legendum oculis suorum subiiceret, et vicinitatis arctaeque societatis ergo promulgaret.

Sed antequam id fieret, Rex Poloniarum, et El. Saxo, regiaque Coniux, et Mater Regis, hoc tali proposito certiores facti, et ad ornandam legationibus panegyrin demisse rogati, aequissimas Academiae preces iudicarunt.

Haud secus perscriptae sunt literae ad Principem Fürstenbergium, quae summis illius, erga Saxoniam, in qua pro El. curat, beneficiis debebantur.

Praeterea testimonium observantiae datum est praecipuis aulae proceribus, collegiis et curiis patriae summis, quibus gratum illud acceptumque invitandi officium fuit.

Amplius Academiis in Saxonia, Lipsiensi, et Ienensi idem ille pro veteri necessitudine honor habitus est, literis eo dimissis Latino sermonis genere conscriptis. Post utrasque invitati sunt praepositi Sacerdotes Ecclesiarum Kembergensis, et Schlibensis, utpote quae arctiori nexu iunctae, patrocinium Academiae agnoscunt.

Porro ex indigenis ac domesticis, praeter Academiae Professores ordinarios, atque extraordinarios, itemque Assessores iure peritos, Doctores, hisque dignitate proximos, et honoris illius consequendi facultatem adeptos, ut et Ascriptos, ac docendi causa in collegium Philosophorum cooptatos, regii in toga et bello Administri, Baro Frisius, Praefecti et Quaestores, senatusque oppidanus, praecones item et interpretes divinioris doctrinae, et scholae senatoriae praeceptores invitati, omnes praesto fuerunt.

Coe-

Wegen annäherung des Iubilaei Academici wurde solches nomine Rectoris Magnificentissimi den 6. Augusti, 1702. durch ein öffentlich angeschlagenes Programma Academicum allen und jeden/Auswärtigen und Einheimischen/ intimiret / solches auch an die Löbl. Vniversität Leipzig zum öffentlichen Anschlage übersandt.

Zuförderst aber wurde solches an Ihro Königl. Majest. in Pohlen / und Churfürstliche Durchl. zu Sachsen / und Dero hertzgeliebteste Königl. Gemahlin/ ingleichen an Dero Königl. Frau Mutter/und verwittibten Churfürstin von Pfaltz Hoheiten / aller- und unterthänigst gebracht / und umb Abschickung einiger Gesandschafften solicitiret.

Dergleichen unterthäniges Bittschreiben ergieng auch an des Herrn Stadthalters/Fürstens von Fürstenberg/ Hoch-Fürstliche Durchlauchkeit.

Ferner wurden alle hohe Churfürstl. Collegia zu Dreßden / und das löbl. Hoffgerichte zu Wittenberg/einige ander hohe Ministri und Collegiorum Directores aber in specie zu solcher Solennität obliegender maßen invitiret.

Ingleichen beyde Sächßl. löbliche Vniversitäten / Leipzig / und Jehna / in Lateinischen missiven / auch beyde zur Vniversität gehörende Herren Pröbste zu Kemberg und Schliben.

Von Einheimischen aber / außer denen sämbtl. Professoribus Ord. und Extraord. Assessoribus, Doctoribus, Licentiatis und Fac. Philos. Adiunctis

1. Die Königl. und Churfürstl. hohe Civil- und militar Officianten.
2. Herr Baron von Friesen.
3. Die Königl. und Churfürstl. Herren Beambte.
4. Der Stadt Rath.
5. Die Herren Geistlichen/ und Collegen der Stadt Schule.

Auch wurde dem Coetui derer Herren Studiosorum angemeldet / 12. Deputatos unter sich zu erwehlen / und zu dem Prandio Iubilaei abzuschicken.

Eben-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0020-0 DFG

Coetui autem literatae Iuventutis per nuncios indicatum est, ut duodecim ex ordine suo delectos, delegatosque mitterent, qui epulo impensa publica apparato, interessent.

Idem benevolentiae genus populo civitatis declaratum est, data simul conviviicausa eligendi et mittendi, quos vellet, potestate.

His ita ex animi sententia constitutis, Idibus Octobris, qui dies erat octavus decimus, post anniversarium trinae Divinitatis sacrum, futura secularis Academici solennia sacerdotis voce promulgabantur, quo omnibus constaret, notumque esset, fore, ut die Martis mane in templo oppidi concio ad praeparandos solennium causa animos haberetur, cui audiendae, ut frequenter interessent, omnes ac singuli commonebantur.

Idcirco Professores, eo, quem diximus, die, horam inter septimam, et octavam, in domicilio Prorectoris Io. Christoph. Vichmanshausii, nemine excepto, conveniebant.

Hora dimidia octava coetus omnis haud aliter, atque in diebus festis solennibus, dato in utroque templo aeris Campani signo, ad sacra convocabatur.

Prorector Academiae, et cuncti Professores, exemplo maiorum vestitu decenti, et palliis induti, recta in templum ibant: ubi post concentus musicos et hymnos, Antistes Loescherus concionem in magna hominum frequentia habuit, ut commonefaceret auditores, et institueret, qua animorum pietate sacrum seculare, quod instaret, esset recolendum.

His rebus perfectis, Professores denuo Prorectorem Academiae comitati sunt, domumque deduxerunt: nec multo post consilium de novo Academiae Prorectore eligendo captum, inclinantibus Patrum animis in Io. Georgium Neumannum, Doctorem Theologum, ut secundum Academiae seculum more maiorum auspicaretur.

Illis domum reversis, datum est quibusdam Professoribus negotium, providerent, ut omnia, tam in aede arcis, quam alibi, quae ad proxima Academiae solennia attinerent, recte fierent, digneque curarentur. Aliquanto post Legati Regis, Principisque statim a primo tempore adventus a missis duobus Professoribus, prolixe accepti sunt, et culti.

Praeter, effusam Regis liberalitatem, singula-

Ebenmäßige Veranlassung beschahe bey der Löbl. Bürgerschafft.

Hierauff wurde den 15. Octobris, als am 18. post Trin. diese vorhabende Solennität von der Cantzel abgekündiget/ uñ vermeldet/ daß Dienstags/ als den 17. frühe eine solenne Vorbereitungs Predigt in der Stadt-Kirchen gehalten werden solte/ worzu sich einzufinden männiglich ermahnet wurde:

Diesem zufolge versamleten sich die Herren Professores frühe zwischen 7. und 8. Uhren in des damahligen Prorectoris, Herrn Profess. Johann Christoph Wichmanshausen Wohnung.

Und alß umb halb 8. Uhr die Gemeinde/ wie an anderen hohen Festtagen/ mit den gantzen Geläute zur Kirche beruffen worden:

Erhuben sich hierauf Magnificus Prorector, nebst denen gesamten Hn. Professoribus in die Stadtkirche/ in welcher der Hr. General Superintendens, D. Caspar Löscher/ nach vorher gesungenen Christlichen Gesängen und musiciren/ die Vorbereitungs Predigt bey sehr volckreicher Versammlung ablegte.

Nach verrichteten Gottesdienst begleiteten die Herren Professores den Prorectorem Magnificum wieder nach hause/ und wurde zur Wahl des künfftigen Prorectoris, Hn. D. Johann George Neumanns/ das gewöhnliche Probulevma gehalten.

Nach Verrichtung dessen verfügte sich ein jedweder in seine Behausung/ und wurde einigen Herren Professoribus Commission gegeben/ Sorge zu tragen/ damit alles/ so wohl in der Schloß-Kirchen/ als sonsten/ zu der morgenden großen Solennität bestermassen adjoustiret und angeordnet werden möchte. Gestalt denn auch Ihro Königl. Majest. und Königl. Hoheit zu dieser Festivität allergnädigst abgeordnete Hn. Legati bald nach Ihrer Ankunfft von zweyen Professoribus angenommen und complimentiret worden.

Und weiln Ihro Königl. Majest. vor Dero treu-gehorsamste Vniversität die fernere hohe Königl. Gnade gehabt/ zu Ausschmückung des Templi ad Arcem Academici viel kostbare/ theils mit Gold gewürckte/ Tapezereyen/ auff aller-

gularis commemoranda est clementia, quod annitente, et herum obtestante summo aulae Pincerna, Comite Eckio, pretiosissimam supellectilem, et aulaea auro intertexta, ad condecorandum arcis templum, ex regia Dresdensi submittenda curaverit: quo factum est, ut pulpita, et templi parietes, ac loca etiam superiora, et inferiora, capiendis omnium ordinum hominibus idonea, ac praeparata, maxime autem subsellia pro Legatis, et Hospitibus quoque, ac Professoribus constituta, summopere exornarentur, solium vero regali pompa erectum, et adornatum, Rectoris Magnificentissimi splendorem, inspectantibus cunctis, insigni a ceteris discrimine, servaret.

Nihilo secius permissu indulgentiaque Regis, summus instrumenti bellici praefectus, Comes Zinzendorffius, machinas bellicas, ex nostrate armamentario apportandas curavit, negotiumque mandavit Baroni Rosae, castri Vitembergensis praefecto, ut eas intra et extra arcis aream collocatas, honoris et gaudii causa exploderet, qui nullum, quoad eius fieri poterat, officium refugiebat: simul et praesidiarios iuxta templum arcis disponebat, qui aditus custodirent, et curam agerent novi, ac instaurati nuper Academiae Collegii, quod ab conditore septemviro, Augustum vocatur.

Tandem, Deo iuvante, dies Octobris decimus octavus, idemque fausti natalis Academiae testis, tranquillo coelo, feliciter illuxit, et auspicandis solennibus initium dedit: statim publica gaudii significatio data est, cum ex turri aedis Marianae tubae et litui canerent, tympanaque perstreperent, quod mane quidem alternis vicibus contigit, ab hora inde quarta, usque ad quintam, quod institutum eo valuit, ut Deo, cuius id beneficium esset, pro conservata literarum sede, gratiae agerentur: dein aes Campanum cieri coepit tribus pulsuum intervallis, quod ubi finem habuit, Cives Academici, in area fani Augustiniani, frequenti numero convenerunt: eodemque tempore Professores, et ordini Philosophorum ascripti, ceterique Academiae contributi, maxime hi, qui regia, et principali auctoritate publicis honoribus hic perfunguntur; posteos ordo senatorius, tum cuncti sacris operantes, ad extremum collegae ad scholam oppidanam stipendio conducti, in auditorio maioris Collegii, quod ab sapientissimo auctore Fridericia-

allerunterthänigste Vorstellung Dero Ober-Schenckens / Ihro Excellenz Herrn Grafen von Eck / aus Dero Tapezerey-Gewölbe in Dreßden allergnädigst zu vergönnen / so wurden damit nicht allein die Empor-Kirchen / sondern auch alle Seiten und Wände solches Tempels / wie auch die Cathederen und Gestüele vor die anwesende theils höchst- und hochansehliche Gesandschafften / theils andere vornehme Deputirte / Hospites, und Vniversitäts Personen aufs prächtigste bekleidet / zu allerförderst aber vor Ihro Königl. Hoheit / Rectorem Magnificentissimum, ein Thron mit eben den Splendeur, wie vorm halben Jahre beschehen / und vorher beschrieben / von den Königl. Tapezierer zubereitet.

Nicht weniger wurden mit allergnädigster Vergünstigung Ihro Königl. Majest. auf Ordre Dero General-Feld-Zeugmeisters / Herrn Grafen von Zinzendorffs Excellenze, durch den allhiesigen Ober-Commendanten / Herrn General-Wachtmeister Baron von Rosen / (welcher sich in allen der Vniversität zu Ehren angesehenen Dingen sehr geneigt und favorabel erfinden lassen) Canonen aus den allhiesigen Zeughause in ziemlicher Anzahl vor- und in den Schloßplatz zum Salve schiessen aufzuführen befohlen / auch zu Besetzung der Schloß-Kirchen und des von der Vniversität renovirten Augustei eine zulängliche Mannschafft commandiret.

Alß nun endlich der so lang erwartete 18. Octobris, als tertius Academiae VVittenbergensis natalis, durch Göttliche gnädige Fügung bey angenehmen Wetter anbrach / wurde sofort der Anfang zu der Solennitate Iubilaea von den Thürmen der Stadt-Kirchen durch eine Hertz-rührende Music von Trompeten und Paucken / auch Zincken und Posaunen / von 4. bis 5. Uhr wechselsweise / dem allerhöchsten Stiffter und Erhalter derselben zu schuldigsten Danck gemachet / hernach in beyden Kirchen durch lautung aller Glocken in drey Pulsen fortgefahren / nach dessen Endigung die Herren Studiosi sich auff den so genannten Kloster in zahlreicher Menge versamlet / und rangiret / desgleichen das Corpus Academicum mit seinen Immatriculirten / auch hierzu erbethenen Königl. und Chur-Fürstl. Herren Beambten / E. E. Raths-Collegio, Wohl-Ehrwürdigen Stadt-Ministerio und Schul-Collegio in den großen Auditorio des Collegii Fridericiani gethan.

So

cianum dicitur, tempestive sunt congregati.

Ad haec iussu generalis vigiliarum praefecti Rosae, ductuque Folckershamii, qui pro tribuno cohortis curat, omne urbis praesidium, in area iuxta templum arcis, expeditum, armatumque consistebat: neque aberant machinarum periti, et armamentarii Vrbis ministri, duobus locati ordinibus, a templo usque ad portam arcis, cum telis minoribus, binisque funiculis, ad incendendum pulverem sulphureum comparatis apte, et complicatis.

In foro autem Vrbis, duae civium cohortes instructae, et sclopis telisque more praesidii castrensis accinctae stabant.

Per idem tempus castri Praefectus de excubiis apud novum Augusti collegium agendis solicitus, centurionis legatum misit, et ductores quaternos minores, cum sex et triginta delectis militibus, imperata facturis. Ex his bini ante portam dispositi: totidem sclopis maioribus armati, subter gradus consistere iussi: totidem in superiore graduum parte ad custodiam relicti: sex hastati ante magni conclavis, coenaculique portam collocati.

Hora octava rursus pulsatur aes Campanum: universus comitatus a Collegio Friderici, per regionem Vrbis, cui ab Academiae Collegiis nomen est, et inde praeter forum, per plateam arcis in templum Academicum procedebat: primi ibant ceremoniarum magistri, locorumque designatores quatuor, instructi ad pompam baculis ab summa parte argento inclusis, decoro, et dignitatem decente habitu, nominatim Io. Tobias Engelius, Freiberga Misnicus, Adamus Henricus Donnerhakius, Peniga Misnicus, Henricus Schlichtingius, Hamburgensis, Carolus Abraamus Naevius, Vitembergensis Saxo, viri insigniter docti, et iuris candidati: His proximi erant musici oppidani, lituos, buccinasque inflantes. Post eos duo ministri Academiae pallia habentes coccinea, fimbriis aureis exornata, Academiae insignia praeferebant. Modico illos intervallo sequebatur Vichmanshausius Prorector, pallio indutus holoserico rubro, auro cumulate intertexto, et pileo consimili, ac pretioso decoratus, comitante eum Loeschero antistite, atque hinc ceteri Professores, et praeter hos Academiae coniuncti, iusto ordine progrediebantur. Tum duo

So postirte sich auch/ auff Ordre des Herrn General Majors und Ober-Commendantens/ Freyherrn von Rosen/ die gantze allhier liegende Guarnison, untern Commando des Herrn Obrist-Lieutenants von Folckersam/ auff dem Parada-Platz der Schloß-Kirchen gegen über/ mit vollen Gewehr. Jngleichen alle Artiglerie-Bedienten und Büchsenmeister in 2. Reihen/ von der Schloß-Kirchen Thür bis ans Schloß-Thor/ mit ihren Untergewehr / und doppelten Zündruthen.

Auff den Marckt-Platz aber stelleten sich 2. Fähnlein von der Bürgerschafft/ ebenfalls mit Ober- und Untergewehr.

Es wurden auch von hoch-wohlerwehnten Herrn Ober-Commendanten vor das Novum Augusteum oder Kloster zur Wache 1. Lieutenant mit 4. Unter-Officirern und 36. Gemeinen commandiret/ da denn 2. Posten aussen vorm Thore/ 2. vor der Stiegen mit Flinten/ wie auch 2. oben zu ende der Stiege/ und 6. Hellebardirer vor der Thüre des großen Saales/ worinnen gespeiset worden/ gestanden.

Umb 8. Uhr wurde wiederumb in beyden Kirchen mit allen Glocken gelautet/ und gienge die Procession aus dem Collegio Friderici die Collegen-Gasse hinauff über den Marckt durch die Schloß-Gasse/ bis in die Schloß-Kirche/ in folgender Ordnung: 1. Vier Marschälle mit Silber-beschlagenen Stäben/ und wohlbekleidet/ als Herr Johann Tobias Engel/ Freiberg. Misn. Herr Adam Heinrich Donnerhack/ Penig. Misn. Herr Heinrich Schlichting/ Hamburg. und Herr Carl Abraham Neefe/ Wittenberg. allerseits Candidati Juris. 2. Die Stadt-Musicanten mit Zincken und Posaunen. 3. Zweene Ministri Academici in Carmoisin mit Gold bordirten Habit/ mit denen Insignibus Academicis. 4. Prorector Magnificus, Herr Prof. Wichmanshausen/ in einen neuen roth Sammeten mit Gold reichlich gestickten Rectorats-Mantel/ und dergleichen Baret, begleitet von Herrn D. Caspar Löschern/ welchen die übrigen Herren Professores, und andere dem Corpori Academiæ zugethane in gewöhnlicher Ordnung gefolget. 5. Wieder 2. Ministri Academici, wie die vorigen bekleidet/ mit silbernen Sceptern. 6. Herr Baron von Friesen/ die Herren Assessores der Juristen Facultät/ der Herr Creisambtmann/ Herren Bürgermeistere/ theils Herren Doctores und Licentiati, theils Königl.

duo iterum Academiae ministri, habitu eodem, quo priores duo, argentea tenentes sceptra. Deinde Liber Baro Frisius, et iuridici Assessores, Quaestor tractus Saxonici Vitembergensis, Consules oppidani, Doctores item, et Doctorum laurea digni, honoreque proximi, regiorum munerum curatores, senatorii ordinis viri, et sacris fungendis creati divinioris verbi praecones, Ascriptique Philosophorum ordini, et Vrbis scholae moderatores, suo quisque loco, ad aedem arcis pergebant. Amplius quidam nati loco nobili iuvenes, et quidam aetate et conditione insignes, cum palestrae magistro, adequitabant: alii eorum ordines ducebant, alii latera stipabant, alii denique agmen claudebant. Porro tympanotribae duo, et sex tubicines commeabant. Post eos dimidia parte literati Cives, quaterni post quaternos incedebant. Ab his proxime sodalitas tibicinum ritu castrensi canentium, et cornicinum conspiciebatur. Reliqui post Cives, dimidia coetus parte, composito ordine veniebant. Ad extremum duo tympanotribae, et sex tubicines subsequebantur.

Iamque in conspectu fori erant, cum cives more castrensi praetereuntes salutarent, sclopisque elevatis, signa vibrarent, et tympana pulsarent.

Neque muneri suo defuere praesidiarii, ac rei ballistariae, et ad machinas, tormentaque pertinentis, naviter periti, ante templum arcis per manipulos distributi.

Statim atque illi in aedem arcis introibant, Musicorum cantibus aures permulcebantur, mox assignatum quisque locum capiebat: tum incredibilis advenarum multitudo templum complebat, nec docti solum ex remotis quoque locis profecti aderant, sed magno etiam numero alii, summa, et mediocri conditione homines: sacri praesertim ordinis viri, visendorum Academiae solennium cupidi, perplures doctrinae causa quondam hic commorati, omnes certe in suorum parentem studiorum maximopere proni, et pro salute eius libenter religioseque Deum salutis publicae custodem deprecati.

Post haec aliqui praecipua dignitate hospites, per duos, ceremoniarum causa missos, perque totidem Academiae ministros, et duo praeterea Academiae Lipsiensis delegati, Doctor Theologus, Gottlob Fridericus Seeligmannus, ac Doctor medicus

nigl. Beambte / Rathspersonen / Geistliche / Adjuncti Philosophiae, und Schul-Collegae, alle nach ihren sonst gewöhnlichen range. 7. Einige von Adel und andere vornehme Studiosi zu Pferde / nebst den Fechtmeister / vor / neben / und nach den Coetu derer Herren Studiosorum. 8. Ein paar Paucken / und 6. Trompeten. 9. Die erste helffte derer Herren Studiosorum, ie 4. und 4. in einen Gliede. 10. Ein Chor Hautbois mit 2. Waldhörnern. 11. Die andere helffte derer Herren Studiosorum. 12. Wiederumb ein paar Paucken / und 6. Trompeten.

Alß der Zug über den Marckt gieng / praesentirte die daselbst postirte Bürgerschafft das Gewehr / schwung die Fähnlein / und rührete das Spiel.

Desgleichen beschahe auch von der Guarnison und Artiglerie / die sich vor der Schloß-Kirche postiret hatten.

Beym Eintritt in die Schloß-Kirche wurde mit einer schönen Music intoniret / da ein iedweder seinen angewiesenen Platz in Besitz nam / und befunden sich darbey eine überaus große menge von Frembden / und theils weitentlegenen Orthen / Gelehrten / und Ungelehrten / hohes und niedriges Standes / insonderheit von denen Herren Geistlichen / und anderen / so vormahls in Wittenberg studiret / welche allerseits dieser Solennität mit Gebeth und guten Wündschen pro salute Academiae beywohneten.

Hierauff wurden einige vornehme Hospites durch 2. Marschalle und 2. Ministros Academiae, und endlichen die beyden Herren Deputati der löblichen Vniversität Leipzig / als Tit. Herr D. Gottlob Friedrich Seeligmann / und Herr D. Johann Christian Schamberger / aus ihren Logiamentern in Carossen abgeholet / und zur Kirchen geführet / Ihnen auch ihre Stellen im Chor, nicht ferne von denen Herren Abgesandten / angewiesen.

Letzlichen wurden alle 4. Marschalle, und 4. Ministri Academici mit silbernen Sceptern zu Auffholung Ihrer Königl. Majest. von Pohlen und Ihrer Königl. Hoheit des Rectoris Magnificentissimi, höchst- und hochansehnlichen Herren Abgesandten abgefertiget / und waren solche die Hoch- und Wohlgebohrnen Herren / Herr Wolffgang Dietrich von Werthern / auff denen Graff- und Herrschafften Beichlingen / Fron-

cus pariter Io. Christianus Schambergerus, ex hospitiis accersiti, carpentisque vecti, et in templum arcis deducti, loco, quem occuparent, prope Legatos, aram versus commonstrato.

Extremo quatuor ceremoniarum magistri, et quatuor Academiae ministri, argentea insignia gestantes, ad Legatos Polon. Regis et Regii PR. deducendos mittebantur. Quo legationis munere functi sunt Perillustres atque Excellentissimi Proceres VVolfgangus Dietericus VVertherus, Dynasta clientelis in Thuringia validus, Augusti Imperatoris et S. R. I. Ianitor cubiculi hereditarius, Regisque Poloniae et Principis EL. in tractu superioris Saxoniae Praefectus, et pari auctoritate, Regisque auspicio VVolfgangus Ericus gentilitio insigni Bennigsen, Dynasta et heres clientelae Bennigsen, et complurium in nostrati Saxonia amplissimorum clientelarium praediorum, Curiae provincialis Elect. Sax. Praeses. Horum singuli carpento sex equis iuncto, ad templum arcis vehebantur: ibi a quatuor Professoribus excepti, ad sedilia ipsis assignata, et holoserico rubro obtecta, deducebantur. Haec erant constituta ad latus arae dextrum, proxime solium Magnificentissimi Rectoris, quod quatuor ductores minorum militiae ordinum, bipennibus armati, circumstabant.

Appropinquantibus templo perillustribus Legatis, sacra fiebant: initium capiebatur ab hymno veteri, ad concelebrandam Dei benignitatem comparato: pro diviniore argumento, carmen Davidis CXLVII. ab oppidanae aedis concionatore, Hieronymo de VVedig ante aram summa animi religione, praelegebatur: nec mora interiecta, compositus ad Christiani coetus gaudium hymnus assa voce concinebatur: paulo post vocum, tubarumque et tympanorum cantu animi ad laudem Deo reddendam veteris hymni formula excitabantur: cum hi finem facerent, vaticinium ex antiquo foedere ab Isaia divino vate proditum, et capitis secundi, sectione secunda, et tertia comprehensum, ab eodem concionatore ante aram stante, clara et contenta voce est pronunciatum. Quod simul atque absolvit, iterum hymnus religionis Christianae capita complexus, publico pietatis argumento coepit cani, et pio carmine ad invocandam Christi opem concinnato, sacris tandem impositus est finis. Post-

Frondorff/ Colleda und Guttmannshausen/ Ihrer Röm. Kayserl. Majest. und des Heil. Röm. Reichs Erb-Cammer-Thürhüter/ und Königl. Majest. in Pohlen/ auch Churfürstl. Durchlaucht. zu Sachsen hochbestalter Chur-Kreishaubtmann/ Domherr zu Naumburg. Und Hr. Wolff Erich von Bennigsen/ auf Bennigsen/ Bandeln/ Grünau/ Völcksen/ Leipnitz und Schneitlingen/ Königl. Majest. in Pohlen/ und Churfl. Durchl. zu Sachsen hochverordneter Hoff-Richter zu Wittenberg: welche sich in zweyen mit 6. Pferden bespannteten Carossen nach der Schloß-Kirchen erhuben/ daselbst von 4. Professoribus empfangen/ und nach Ihren/ allernächst bey dem vor Ihro Königl. Hoheit den Rectorem Magnificentissimum aufgerichteten/ und mit 4. Unter-Officiren in kurtzen Gewehren guardirten Throne/ zur rechten Seiten des Altars/ mit rothen Sammet umbzogenen Gestühlen gebracht wurden.

Nach Ankunfft derer Herren Legatorum gieng der völlige Gottesdienst an/ mit dem Liede: Allein Gott in der Höhe sey Ehr: worauff statt der Epistel der 147. Psalm von dem Stadt-Prediger/ Herrn M. Hieronymo de Wedigen vorm Altar verlesen/ nachher das Lied: Nun freut euch lieben Christen Gemein rc. gesungen/ ferner ein Laudate mit Trompeten und Paucken musiciret/ dann an statt des Evangelii ex Esaiae c. II. der 2. und 3. Vers vor den Altar verlesen/ darauff der Glaube gesungen/ und endlich mit dem Liede: Liebster Jesu wir sind hier rc. beschlossen wurde.

Hierauff begab sich Herr D. Johann George Neumann auff die cathedram Lutheri, und legte die Jubel-Predigt ab/ das recht-gläubige Zion in den lezten Zeiten der Welt/ aus dem Text vorstellende/ und wurde nach dem Introitu vor den Vater Unser das Lied: Nun danckt alle GOtt rc. nach Endigung der Predigt aber eine hierzu neu verfertigte Arie auff 2. Chören abgesungen und musiciret/ endlich vor dem Altar eine Collecte verlesen/ und der Seegen gesprochen.

Nunmehro begab sich der abgehende Prorector, nebst sämbtlichen Professoribus Publicis ordinariis, von denen Marschallen geführet/ aus ihren in dem vordern Chor zur lincken seiten des Altars eingenommenen Stühlen/

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0025-8 DFG

Postea in concionem ascendit Doctor Theologus, Io. Georgius Neumannus, sacri religione secularis adductus, qui de Sione novissimorum temporum, verba fecit: post orationis sacrae ingressum, ante consvetam precationis formulam, hymnus gratiarum causa Deo dicatus, religioseque cantatus. Finito autem sermone, melos musicorum modis recens compositum, in choris duobus, alternis vicibus, modulati sunt symphoniaci: ad ultimum iuxta aram solennis precatio instituta, et formula benedicti ecclesiastici recitata.

His rebus perfectis, Prorector Academiae de provincia decedens, et prosequentes ordinarii Professores, ab ceremoniarum magistris ex subselliis, in anteriore ad sinistrum latus aditu occupatis, in chorum arae interiorem deducebantur. Theologorum ordo, cum Iureconsultis, et Medicis consistebat ad dextram, Philosophorum sinistram tenebat: Prorector Academiae in medio stabat: quo loco, postquam magistri ceremoniarum recesserant, finito cantu hymni, quo divini Spiritus auxilium invocatur, Prorector paucis ipse verbis, de superiori electione sua gratias egit, simulque admonuit, pro veteri Academiae consvetudine, dignitatem magistratus Academici ad alium ex coetu Patrum esse deferendam. Cui graviter et succincte respondit Doctor Theologus, Philippus Ludovicus Hannekenius, et rogavit magnopere, ut quem heri senatus Academiae futuri semestris Prorectorem elegisset, eum, de voluntate Patrum, coram nominaret. Quamobrem Theologus Doctor, Io. Georgius Neumannus, recens designatus Academiae Prorector, ut novum ac grave munus ne defugeret, rogatus, et more institutoque veteri, consentientibus Patrum suffragiis est publice renunciatus. Extemplo is sermone Latino gratae mentis significationem dedit, et leges, privilegiaque Academiae servaturum se recepit, et in fidem promissi dextra, teste fidei data, persancte confirmavit.

Exinde ambo Prorectores suggestum Academiae conscendebant, Professores ad suas singuli sellas revertebantur, quorum alter munere suo cedens Vichmanshausius, provinciam suam designato Prorectori tradidit, et magistratus insignibus in mensa iuxta solium impositis, Doctorem Neumannum consalutavit denuo ac renunciavit, eidem-

in den inneren Chor des hohen Altars/ und stelleten sich Facultas Theologica, Iuridica und Medica zur rechten: Philosophica, zur lincken des Altars/ Prorector aber blieb in der mitten bestehen/ allwo nach Abführung den Marschallen/ und musicirung des Veni S. Spiritus, er in einer kurtz gefaßten Lateinischen Rede wegen seiner election ante semestre spatium danckete/ auch zugleich erinnerte/ daß nunmehr die eingeführte Gewohnheit erfordere/ solche Würde einen andern aufzutragen. Diese wurde durch Herrn D. Hannekenium kurtz beantwortet/ und gebethen/ diejenige Person zu entdecken/ welche in den gestrigen Concilio Academico zum Prorectore futuri semestris erwehlet worden: worauf Tit. Herr D. Johann George Neumann/ als recens electus Academiae Prorector öffentlich proclamiret/ und diese Würde zu übernehmen erbethen wurde. Wornach dieser ebenfalls in einer Lateinischen Rede sich bedanckte/ und über die Leges et Statuta Academiae feste zuhalten sich durch gegebenen Handschlag obligirte.

Nach Vollendung dessen traten die beyde Prorectores auf die Rectorats Catheder, die Professores aber begaben sich in ihre Stühle/ und nachdem der abgehende Prorector, Herr Prof. Wichmanshausen/ sein bisher geführtes Prorectorat übergeben/ und den Rectorat Ornat auf ein vor besagten Throne stehendes Tischlein niedergeleget/ proclamirte er nochmahls Herrn D. Neumannen zum Prorectore futuri semestris, cum traditione insignium, et Ornatus, und felicitirte ihn wegen der neuen Academischen Regirung.

Beyde Prorectores nebst denen Herren Professoribus Theologis, giengen hierauf zu den Altar/ knieten daselbst nieder/ und wurde Gott/ dem höchsten Stiffter und Erhalter dieser Vniversität/ zu Ehren das Te Deum Laudamus gesungen/ auch hierbey unter dem Schall der Paucken und Trompeten aus allen aufgeführten Stücken dreymahl gefeuert/ und von der Guarnison eine dreyfache Salve gegeben.

Alß auch dieses verrichtet/ begab sich der Professor Eloquentiae, Herr Conrad Samuel Schurtzfleisch/ auf die Catheder, und hielte nomine Academiae die solenne Orationem secularem.

Nach

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0026-4 DFG

demque magistratum futuro semestri hyberno gerendum commisit, et posita dignitatis suae ornamenta, solenni ritu in illum contulit, novamque muneris perfunctionem est antiqua Patrum formula gratulatus.

Ita Prorectores, una cum Professoribus Theologis, ad aram accedebant, genibusque flexis, pietatem suam demonstrabant: hymnus interea, quo divinae concelebrantur laudes, auctori et statori Academiae aeterno, et immortali canebatur, simul inter tympana, buccinasque sonantes, tormenta et machinae maiores in locum templo proximum adductae, excutiebantur, atque a praesidio castrensi etiam sclopiter exonerabantur.

His etiam confectis, doctor humanitatis et historiae, Conradus Samuel Schurzfleischius in concionem ascendens, orationem habuit publicam, et sacro seculari apprime convenientem.

Qua finita omnes, quotquot celebritati interfuerunt, ex templo arcis exeuntes, ad novum Augusti collegium, suo quisque ordine pergebant. Dum hoc fieret, aes pulsabatur Campanum, et explicatis vexillis, tympana strepebant, praesidiariis more militiae munia sua obeuntibus, civibusque oppidanis in foro stantibus armatis. Ratio pompae ita constituta erat, ut duo Legatorum currus sex equis iuncti, praecederent, quos sequebantur et choraulae cum lituis: proximi ibant duo Academiae ministri, sceptra gestantes: tum splendidissimi duo Legati incedebant: post eos recens inauguratus Academiae Prorector, quem prior, qui hac dignitate se abdicaverat, comitabatur. Statim illos excipiebant duo Academiae Lipsiensis delegati: inde omnes et singuli quatuor Academiae ordinum Professores, quibus novissime se adiungebant viri a commentariis, et rationibus Academicis. Rursus duo ministri Academiae cum sceptris. Hinc se inferebant omnes superiori loco commemorati, iusto semper ordine servato, in quibus erat Nicolaus Lutkius, ab intima regii cubiculi curatione. Vbi ad collegium Augusti ventum est, ingressu in magnum conclave facto, cuncta ibi, structis ante sex longioribus mensis, ad excipiendum hospites, parata cernebantur.

Modico temporis intervallo adventabat generalis vigiliarum praefectus, generosissimus L. B. Rosa, cum quo honoris causa se iun-

Nach deren Endigung erfolgte unter den vollen Geläute/auch fliegenden Fähnlein/ und klingenden Spiel der in Gewehr stehenden Guarnison/ Artiglerie, und Bürgerschafft, der Rückzug aus der Schloß-Kirche nach dem Novo Augusteo, oder Closter/ in folgender Ordnung: 1. die beyden mit 6. bespannueten Carossen derer höchst- und hochansehnlichen Herren Abgesandten. 2. ein Chor Zincken und Posaunen. 3. zwey Ministri Academici mit Sceptern. 4. die 4. Marschallen. 5. derer beyden höchst- und hochansehnliche Hn. Abgesandten Excell. Excell. 6. der neu erwehlte Prorector in Begleitung des vorigen. 7. die Hn. Deputirte von der Vniversität Lepzig. 8. sämbtliche Herren Professores, nach denen 4. Facultäten / deren Corpus der Proto-Notarius Academiae, und Procurator Fisci Academici schlossen. 9. wieder zwene Ministri Academici mit Sceptern. 10. alle die vorher benamte Personen in ihrer Ordnung/ unter welchen sich auch befande der Königl. und Churfl. geheime Cammerirer/ Herr Nicolaus Lütke. Bey Anlangung an ietzt besagten Orth begab man sich sofort auf den zu dergleichen Academischen Festivitäten destinirten/und mit 6. langen Taffeln besezten Saal.

So langeten auch kurtz darauf daselbst an Ihro Königl. Maj. in Pohl. und Churfl. Durchl. zu Sachsen hochansehnlich-bestallter Geheimder-Rath / Herr Carl Gottfried Bose/ auff Netzschka/ Brunn/ Limpach/ Neuen-Schönfels und Recknitz/ Creishaubtmann in Meißnischen Creis/ vergesellschafftet von den Hoch-Wohlgebohrnen Herrn / Herrn Otto von Rosen/ Freyherrn zu Schönangern/ Herrn zu Berga/ und Hödingen/ Ihro Königl. Majest. und Churfl. Durchl. hochbestallten General Wachtmeistern über die Infanterie, und Commendanten der Chur-Vestung Wittenberg: Ingleichen der Herr Vice-Creishaubtmann in Thüringen/ Hanß Friedrich von Werthern/ der Herr Obrist-Lieutenant von Folckersam/ und viele andere vornehme Hospites.

Unter währender Mahlzeit wurde stets musiciret/ und bey Trinckung deren Hohen Gesundheiten von Ihro Königl. Majest. Dero hertzgeliebtesten Königl. Gemahlin / wie auch Ihrer Hoheit des Königl. Printzen/ als Rectoris Magnificentissimi, unter den Schall der Paucken und Trompeten/ auf Ordre des Hn. Ober-Commendantens Excell. jedesmahl aus 9. Canonen gefeuret/ dergleichen auch geschehen/ als hochwohlermeldter Herr Commendant das Wohlergehen der Vniversität Wittenberg ausgebracht. Bey denen anderen vornehmen Ge-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0027-0 DFG

iunxit perillustris Dynasta, purpuratusque excellentissimus Carolus Godofredus gentilibus maiorum insignibus Bose, Reg. et PR.EL. Consiliarius sanctior, nec congressu illo se abstinuit illustris Dynasta Io. Fridericus VVertherus, in Thuringiae tractu, qua in fines ditionis EL. Sax. discriptus est, cum vicaria dignitate Praefectus, quos prosecuti sunt legatus tribuni castrensis Folckershamius, complures alii, generis munerumque splendore insignes, hospitum titulo, honoreque culti.

Durante convivio, continuati sunt fidium tubarumque cantus, et inter vota pro salute Regis, regiaeque Coniugis, et Filii Principis, EL. Sax. Heredis, summique Academiae capitis nuncupata, libatis testando obsequio poculis, novem tormenta, iussu praefecti in vallo disposita, magno fragore, et continente tubarum, tympanorumque strepitu explodebantur. Tum splendissimorum hospitum nutu, sigillatim praefecti castrensis inductu, totidem machinae, canentibus simul tubis ac tympanis, exoneratae, amoris in Academiam signa erant, et missae pro republica bene precantium voces, festi illius diei laetitiam augebant. Ceteris id honori datum est, ut machinis tribus explosis pocula libarentur.

Quae res Deo fortunante, bene feliciterque ex omnium sententia successit. Postea vero quam splendidissimi Legati hora circiter decima vespertina, a magistris ceremoniarum deducti, carpentisque vecti ad hospitia sua redierunt, reliqui exemplum secuti, ad suas quisque aedes laetis libentibusque animis se contulerunt.

Postero die, qui in fastis erat XIII. Kal. Nov. solennia creandis Doctoribus Theologis, Iurisque peritis, et Medicis instituebantur, cum superiori die sacro tabulis in valvis templi fixis, nomina inaugurandorum a Decurionibus trium Academiae ordinum proposita publice, promulgataque essent. Simulatque dies venit, aes Campanum maius impulsum est, et insonuit: mox in aedibus Hannekenianis affuerunt Professores, atque Doctores, et adductis secum illis, quibus publici honores decreti erant, invitato prius ad celebritatem Prorectore, quem quatuor ceremoniarum magistri deduxerunt, ad horam fere XII. iusto ordine in templum arcis processerunt, inaugurationis ritum celebraturi. Aliquanto post Legati,

sundheiten wurden allemahl 3. Stücken gelöset/ worbey alles/ Gott sey Danck/ glücklich und sonder Schaden abgangen/ und nachdem derer Herren Abgesandten Exc. Exc. Abends gegen 10. Uhr/ von denen 4. Marschallen begleitet/ nach Ihren Logis gefahren/ haben sich auch die anderen vornehmen Herren Gäste nacher Hause begeben/ und seind also alle wohlvergnügt von einander geschieden.

Folgendes Tages/ als am 19. Octobris, wurden in Facultate Theologica, Iuridica und Medica promotiones Doctorales angestellet/ nachdem solches Sonntags vorher durch 3. unterschiedene Programmata, mit Meldung derer Namen der Doctorandorum, von denen Decanis publice intimiret worden. Da denn nach läutung der größesten Glocke die Herren Professores und Doctores trium Facultatum, nebst denen Doctorandis sich in der Behausung Herrn D. Hannekenii versamleten/ und/ nachdem der Herr Prorector durch die 4. Marschalle auch dahin abgeholet worden/ sich gegen 12. Uhr in gewöhnlicher Ordnung in die Schloß-Kirche verfügten/ wohin nachmahls die Herren Gesandten und Deputati, gleichwie Tages vorher/ von denen Marschallen begleitet/ und die ersten vor der Kirchthür von 4. Professoribus angenommen/ auch nach Ihren Gestühlen deduciret worden. Nach deren Ankunfft/ und geendigter Music, betrat Herr D. Hannekenius, als Promotor, die gewöhnliche Catheder, und nach gehaltener Oration und erlangter potestät von dem Decano Facultatis Theologicae, Herrn D. Löschern/ als Pro-Cancellario, creirte er mit gewöhnlichen ritibus 7. Doctores in Theologia: diesem folgete Herr D. Gottfried Svevus, und nach gleichfalls praemittirter Oration/ und erlangter Vollmacht von dem Decano Facultatis Iuridicae, Herr D. Johann Heinrich Bergern/ als Pro-Cancellario, promovirte er mit gebräuchlichen ceremonien 9. Doctores in utroque Jure.

Endlich erhielten von dem Königl. Pohlnischen Leib-Medico, Herrn D. Johann Gottfried Bergern/ nach ebenmäßig gehaltener Oration/ und erlangter Potestät von dem Pro-Decano, Herrn D. Paul Gottfried Sperlingen/ als constituirten Pro-Cancellario, dignitatem Doctoralem 17. Licentiati Medicinae.

Und

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0028-5 DFG

gati, et Delegati eodem, quo pridie, ritu, praeeuntibus officii causa ceremoniarum magistris, in templum deducti, illi etiam a quatuor Professoribus excepti, commonstrato sibi loco, consederunt. Simul ac hi praesto essent, musicique cantus cessarent, Doctor Hannekenius inaugurationis solennia perfecturus, in suggestum Academiae ascendit, et post orationem rite habitam, potestate a Doctore Loeschero, tanquam constituto ad id muneris Procancellario, adepta, septem Doctores Theologos more maiorum renunciavit publice, et privilegiis ordinem decentibus ornavit.

Hunc excipiebat Doctor Iurisconsultus Godofredus Svevus, qui postquam verba fecerat, et facultatem a Doctore Io. Henrico Bergero, ut iuridici ordinis Procancellario, impetraverat, novem peritos iuris Doctores solenni ritu creavit.

Tandem Doctor medicus Io. Godofredus Bergerus, recitata prius oratione, ius creandi artis suae Doctores a Doct. Paulo Godofr. Sperlingio, id temporis Prodecano, et ordinis Procancellario, rogavit, et consecutus est, eaque de causa septendecim medendi peritos, summa Doctorum laurea ornatos, solenni formula inauguravit.

Ceterum inter haec solennia instrumentum musicum, quod follibus cietur, resonabat, fidibusque canebatur, modulantibus una symphoniacis, ut artis peritiam industria aeque ac pietate comprobarent. Distributis postea more Academico praemiis, et habitis ultro citroque gratulandi causa sermonibus, in ipso hymni Ambrosiani initio, Doctores Theologi cum recens creatis Doctoribus, ad aram progressi, genua flexerunt, et usque dum cantus ille finiretur, ibi perseverarunt, atque celebrato hoc ritu, suo sunt officio perfuncti.

Deinceps e templo egressi, novum Augusti Collegium solenni comitatu repetierunt: illud tantum variabat, quod ab ritu prioris diei discessum est, non servato corporis Academici ordine, et aliis in comitatus societatem receptis. Novi autem Doctores ab sacris titulum adepti, pileos ex nigri coloris holoserico, Iuridici, et Medici tiaras rubros, eodem panni genere confectos gestabant, et ad Legatorum, Prorectoris, Delegatorum Hospitum, Patrumque sinistram ibant.

Postridie XII. Kal. Novembris Magistri et

Und wurde zwischen währenden creationibus allezeit mit der Orgel gespielet/ und musiciret/ auch nach ausgetheilten gewöhnlichen muneribus/ und abgelegten Danckſagungs-Reden/ mit dem Te Deum Laudamus, bey dessen Anfang die Herren Professores Theologi mit denen neu-creirten Doctoribus zu dem Altar giengen/ und kniend bis zu dessen Ende verharreten/ dieser dreyfache actus beschlossen.

Der Rückzug beschahe wieder nach dem Collegio Augusteo, fast in eben der Ordnung/ wie es vorigen Tages war gehalten worden/ nur daß Academia hierbey nicht ut corpus, sondern in sonst gewöhnlicher Ordnung/ auch von denen neu promovirten Doctoribus, von welchen die Doctores Theologi mit schwartzen Sammiten Mützen/ die Doctores Juris und Medicinae aber mit roth Sammiten Bireten bedecket waren/ so viel ihrer gegenwärtig/ denen Herren Gesandten/ Prorectori, Deputatis, u. s. f. allezeit einer zur lincken Seiten giengen.

Den 20. Octobris ergieng die promotio Magistrorum in Facultate Philosophica, nachdem die Invitatio Candidatorum von den damahligen Decano, Herrn Prof. Planern/ Festo Visitationis Mariae, und die intimatio solennis promotionis CII. Magistrorum den 15. Octobris per publicum Programma beschehen war. Es verrichtete aber den actum solennis Promotionis auch in der Schloß-Kirche Herr Johann Wilhelm Berger/ Poes. Prof. Publ. nach abgelegten Carmine seculari, als der Zeit Decanus, nachdem Herr D. Joh. Baptista Röschel Phys. P. P. die Candidatos Decano, als Pro-Cancellario, zur promotion in einer kurtzen Rede recommendiret hatte. Der Schluß dieses actus wurde gemacht durch proposition einer Quaestion von Herrn M. Volckart Stephens/ Hamburg. welcher primum locum obtiniret: welche hernach der Professor Eloquentiae decidirte. Und verrichtete die gewöhnliche Gratiarum actionem Herr M. Just Christian Vthenius, Clinga Schvvarzburg. als secundus in ordine Promotorum. Mit Aufholen und Bedienung derer Herren Gesandten/ Prorectoris und Deputatorum wurde es/ wie vorige Tage/ gehalten.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0029-4 DFG

et Doctores artium publice renunciati sunt, invitatis ante ad capessendos honores literatis civibus, quod anniversario Mariae sacro contigit, cum dignitatem amplissimi muneris sustineret, partesque eas tempestive ageret artium Mathematicarum Professor, Io. Andreas Planerus. Eodem auctore interiectis aliquot mensibus, publice omnibus significatum est, praedicto die, centum et duos summam sapientiae lauream laboribus studiisque promeritos, in templo arcis, solenni ceremonia creandos esse. Inauguratio tandem perfecta est a Io. Gvilielmo Bergero, artis Poeticae Professore, Decurione, et Procancellario ordinis recens constituto, recitato carmine seculari: Candidati priusquam renunciati sunt, a Doctore Io. Baptista Roeschelio commendati, facile ab idoneis doctrinae existimatoribus gratiam inibant, et eo, quem expetebant, honore afficiebantur. Ad ultimum proposita est quaestio a M. Volckerto Stephanio Hamburgensi, primum inter competitores locum adepto, ad quam humanitatis Doctor respondebat, controversiamque dirimebat. Gratias demum agendas suscepit M. Iustus Christianus Vthenius, Clinga Schvvarzburgicus, in serie Magistrorum secundus. Legatos, Prorectorem, et Delegatos accipiendi, et deducendi eadem, quae antea, ratio constabat, et consvetudo permanebat.

Rebus in universum curatis rite et gestis, Legati, Prorector, Delegati, Professores ac Hospites, seruato superioris pompae ordine, ex arcis templo progressi, Magistros paulo ante renunciatos, pileisque holosericis, violae colorem referentibus ornatos, singuli singulos, honoris causa lateri sinistro admoverunt, quos ad novum Augusti collegium illi summa cum observantiae testificatione sunt comitati. Eo deducti, liberaliterque accepti in magnum conclave introibant, nec multo post, confectis culinae rationibus, considebant, cibumque capiebant. Epulum in horam fere decimam vespertinam producebatur: tum consurgentes tranquille et sine strepitu domum quisque suam revertebantur. Post eos Musici e coenaculo exibant, et a Civibus, praesertim dignitate equestri florentibus, accensis noctu facibus, ad Legatorum, Prorectoris, et Delegatorum aedes adducti, cum fidibus et tibiis, tum cornibus venatoriis laetititiae significa-

Nach genommenen Rückzug in eben solcher Ordnung/ wie voriges Tages beschehen/ also daß allezeit/ denen Herren Gesandten/ Prorectori, Deputatis, Professoribus und anderen Hospitibus ein neu creirter Magister mit einen violet-farbenen Sammiten Mützgen bedecket/ zur lincken Seiten gieng/ und nach Anlangung in dem Collegio Augusti wurde ebenfalls auff den gewöhnlichen Saale gespeiset/ und bis 10. Uhr zugebracht/ da denn ein ieder sich nacher Hause begeben/ worauff derer Hn. Abgesandten/ Exc. Exc. Prorectori, Deputatis, u. a. eine Nacht-Musique mit Hautbois und Waldhörnern bey vielen Fackeln von der Noblesse gebracht/ und also das gantze Iubilaeum, dem Höchsten sey Danck/ in Anwesenheit unzehlicher von vielen Vniversitäten angekommener Studiosorum, auch anderer der Vniversität Wohlwollenden/ ohne eintzigen Unfall/ Wiederwillen/ oder Tumult/ in Freuden und Vergnügen/ beschlossen worden.

Damit aber auch der Coetus Alumnorum Electoralium hierbey seine Obliegenheit erwiese/ ist auff Anordnung derer Herren Ephororum von einen Adjuncto Ordinis Philosophici, Herrn M. Christoph Heinrich Zeibichen/ eine Lateinische Oration/ in Auditorio Majori Collegii Fridericiani, den 22. Octobris gehalten/ die Herren Studiosi darzu durch ein gedrucktes Programma invitiret/ auch zum Beschluß eine von dem Herrn Redner verfertigte Arie abgesungen worden.

So seind auch zu unterthänigsten Ehren des Rectoris Magnificentissimi Königl. Hoheit/ und angenehmer Erinnerung dieses celebrirten zweyten Iubilaei, unterschiedene Medailles verfertiget worden/ zugeschweigen anderer vielen gratulationum und Carminum, welche von einigen dieser Vniversität wohlwollenden Gemüthern und gewesenen danckbaren Civibus Academicis, eingesendet worden.

tio-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0030-5 DFG

tionem praebuerunt. Adeo coetus meritorum memor, superioribus tandem officiis cumulum addere cupiebat. Quo pacto sacri secularis celebritas felicem, et exoptatum finem habuit, magna hospitum frequentia, et incredibili Iuvenum eruditorum concursu, qui una cum aliis ex longinquo huc profectis, et pro suo in Academiam studio aperta, aut tacita gratulatione functi sunt, hoc magis, quod coelesti quodam beneficio omnes, tam advenae, quam indigenae, velut in communi rei Christianae gaudio, tempore commorationis suae, sine cuiusquam perturbatione hominis, sedate, placideque se gesserunt.

Postremi omnium Regii et Principales Alumni suopte ingenio alacres, nec pietate, neque officio Civibus aliis concedere voluerunt, et Patrum, qui pro eis curant, auctoritate confirmati, ad unum omnes ad celebranda secundi Academiae seculi solennia ultro se excitarunt; quorum interpres M. Christophorus Heinricus Zeibichius, Philosophorum Ordini Ascriptus, Latina oratione XI. Kalend. Novembris, in auditorio maiori Fridericiano, frequentissimo Patrum, Civiumque conventu, habita, ad beneficiorum a Deo collatorum, et a Saxonibus, quorum hic imperium et potestas est, conservatorum memoriam renovandam pertinebat. Cives ante congressum publica dissertatione, ut compositis ad sanctimoniam animis auditum venirent, admonelantur. Qui praestituto die aderant, et nihil ad partes munere suo dignos reliqui faciebant. Priusquam concio missa est, voce et fidibus ad modos canebatur pleno pietatis sensu carmen, auctore Zeibichio plane dignum, et auditu periucundum.

Cum nihil ad publicum Academiae gaudium restaret, tum ratio posteritatis in eo habita est, quod solennia haec talia sempiternis consecrata sunt monimentis, quae numi ex argento facti, ab iniuria temporum vindicabunt. De multiplicibus votorum formulis, deque carminibus ad honorem Academiae scriptis numero plurimis, et omnis cura elaboratis nihil dici nunc attinet, quae ab ultimis Germanie regionibus missa in omnium manibus sunt, et domi forisque concelebrantur.

I.

Dissertatio publica, qua Civibus Academiae delatum Serenissimo iuventutis Principi, et dignitatis EL. Heredi summum Academiae regimen denunciatum est.

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,
CHRISTIANVS VATERVS,
Phil. et Med. D. Patholog. P. P. Phys. Prov. Saxonicus,
et Colleg. Curios. German. Collega.

QUod rei Christianae faustum et felix, patriae communi gloriosum, reique publicae utile, et parenti religionis, ac literarum Academiae salutare sit. Hodiernus dies maiorum instituto sanctus, et solenni Patrum civiumque pompa celebrandus est, nec maior potest inveniri felicitas, neque gratior nobis afferri nuncius, quam quod unicum Regis nostri Filium, amorem gentis suae et delicium, Ordinis nostri Principem demisse reverenterque consalutamus. Auctor tanti beneficii est Rex indulgentissimus, cuius tanta fuit munificentia sub hoc tempus, quanta vix unquam sperari potuit, maior deinceps, salva officii religione, exoptari non debet. Heres Saxonici imperii, quod eligendis Imperatoribus constitutum consecratumque est, fasces regni sapientiae capesset, et in templo arcis, quod orti ab Regibus Maiores sanctissimum esse voluerunt, ritu sanctissimo renunciabitur, effusa ad laetum spectaculum urbe, in freqventissima Procerum corona, pompaque ordinis splendidissima, et regiam sobolem decente, ne ullus urbis locus gratulantium plausu vacuus,

cuus, nedum a pietate civium vota facientium desertus videatur. Secundum Academiae seculum, auspicio sanctum, et omine laetum, haec solennia deposcit, et novam cumulatamque Saxoniae felicitatem, illo praeside ac propugnatore dignitatis Academicae, promittit, et vicinos exterosque ad communis gaudii societatem invitat, omnibus virtutis causa venientibus spem facit honorum atque praemiorum, concessu Regis, sumptuque publico tribuendorum. Quare, Cives, de tam propensa Regis in nos voluntate gratias agite, qui opes Academiae ad solennnia SECVNDI FORTVNATIQUE SECVLARIS elargitur, rerumque Academicarum summam ad Filium Regiae stirpis defert. Estote in persequendis officiis diligentissimi, venite comitatu frequentissimo, retinete virtutibus dignitatem. Supplicate DEO STATORI, qui pro Regum salute excubat, remque publicam propitius volens tuetur. Tuta est suo, et avitae libertatis praesidio patria, ornamentum reipublicae nullum amisit, antiquam et propriam hic doctrinae sedem habet, auspicio SECVLARIS felicissimo gloriatur, et Serenissimo Principi Regio, FRIDERICO AVGVSTO IVNIORI, Rectori Academiae Magnificentissimo, felices Kalendas Maias, delati et suscepti Academiae imperii testes, prosperas in perpetuum et fortunatas, quanta fieri demissione potest, constanter vovet et administrandam literati Ordinis provinciam religiose pieque comprecatur, simul et Hospites, studiis, artibus atque literis deditos, veramque laudis viam et rationem ingressos, ac socios officii et pietatis, Perillustres, Generosissimos, Nobilissimosque CIVES, omnes in universum doctrinae Academicae alumnos, ad vota pro Regis, et Rectoris Magnificentissimi salute nuncupanda, me interprete, nunc benevole rogat, enixe monet, persancte obtestatur. P. P. cIↃ IↃ CCII. Kalendis Maiis.

II.

SERMO

Cum Magistratu Academico abiret, et Serenissimum Principem Regium

FRIDERICVM AVGVSTVM,

Electoratus Saxon. Heredem,

Dominum nostrum Clementissimum

RECTOREM

ACADEMIAE HVIVS MAGNIFICENTISSIMVM

solennissime proclamaret

KAL. MAII ANNO M DCCII.

dictus

a

D. CHRISTIANO VATERO,

Pathol. Prof. Publ.

Patres Academiae conscripti, ceterique A.OO. honoratissimi.

QUod in Republica sapientibus saepe placuit, quando abire magistratu maluerunt, quam fasces suscipere, quicunque fasces esse experti sunt, idem quoque mihi hodierno die usu venire fateor, laetorque diem tandem illuxisse, cuius me desiderium hactenus tenuit, quando inter occupationum publicarum multa ac varia saluti privatae, meorumque aegrorum haud undiq; prospicere, nec tamen pro publico bono vigilans et dimicans omnibus, forte sufficere potui. Equidem nihil eorum intermisisse me scio, quibus salutem publicam procurari et promoveri posse, existimavi; quoniam vero ordinis nostri alia dignitas est, quam regendorum numerus, et tamen difficile admodum propter mores seculi corruptos, laxatamque nimis Iuvenum disciplinam, in officio continere, qui omnes sese sapere existimant; Labor, vigiliae et in-

et induſtria parum, vel nihil ſaepe efficiunt, niſi qui ſolus poteſt mentes civium noſtrorum in obſequia flexerit, noſtrumq; regimẽ et decus a malevoluminſidiis, iniuriisque vindicaverit. Huius igitur ſolius benignitati praecipue tribuendum eſſe cenſeo, tum veſtris conſiliis, Patres ampliſſimi, veſtris quoque curis, et veſtrae, quam ſtudioſiſſime coluimus, concordiae, quod res noſtrae univerſae toto conſulatus mei tempore non modo nihil detrimenti acceperint, ſed etiam maius provectae in hunc usque diem creſcere videantur. Fecimus equidem hoc ſemeſtri iacturam Nobiliſſimi membri, cuius inopinatus obitus ingentem Collegio Iuridico cladem intulit, ſed ſanatum etiam iam tum vulnus, damnumque ſucceſſore digniſſimo reſtitutum eſſe, eo magis gaudemus. Eidem quoque immortali Numini ante omnia nunc toto pectore gratias, quantas mente quidem concipere poſſum maximas, ago, ardentisſimis inſuper exoptans precibus, ut hanc Muſarum, et verae religionis, pietatisque non fucatae antiquisſimam ſedem, contra omnes hoſtium machinas, impoſterum quoque defendere, et ad conſummationem usque mundi, florentem conſervare velit. Iam vero, quoniam prudenti maiorum noſtrorum inſtituto, et recepta huc usque conſvetudine adhuc verba quaedam ante ſolennem faſcium Academicarum renunciationem facienda, pauca quaedam de *Termino vitae humanae ultimo*, argumento ab hoc tempore, quo alias de Termino ſalutis peremptorio cum termino vitae ultimo coniuncto, tam acriter diſputatur, in medium afferam, quae, ut a Vobis, Auditores OO. honoratisſimi, benevolis auribus accipiantur, obnixe rogo.

Occaſione nimirum controverſiae illius, quam modo dixi, de Termino ſalutis humanae peremptorio, inter Theologos recenter ortae, non ſemel atque iterum illam quoque quaeſtionem miſceri audivi, utrum ne terminus vitae noſtrae fatalis, et unicuique homini a Deo ita conſtitutus, definitusque ſit, ut nullis etiam mediis, ſive naturalibus, ſive praeternaturalibus, interrumpi, aut protrahi poſſit; neque deeſſe tales intellexi, qui omnino terminum vitae aeque ac ſalutis peremptorium, et abſolute a Deo definitum, eſſe affirmant, et licet cum Epicuraeis Deum prorſus a providentiae ſuae gubernaculis amovere nolint, Stoicorum tamen verba iſta ſaepius ſua faciunt: ſi decretum tibi eſt a morbo convaleſcere, ſive medicum adhibueris, ſive non, convaleſces tamen, et ſi fatum tibi eſt ex morbo non convaleſcere, morieris, quibuscunque etiam medicamentis uſus fueris: vel quae Sophocles olim loquebatur: Niſi fatale aegro mori, facile evadet ab omni morbo, ſed cui fatale eſt mori, vel morſu pediculi conficietur Anne Deum, inquiunt porro, alias omniſcium et ubivis praeſentem, ſine cuius nutu, ne capillus quidem a capite noſtro fluit, nec paſſerculus in terram cadit, ita verſari circa vitam, et mortem hominis putemus, ut de vita cuiusvis ſtatuerit, certumque vivendi terminum cuique praefixerit, quem nec antevertere, nec transgredi queat; qui alias pro arbitrio ſuo unicuique tribuit, quod placet, et tanquam Dominus vitae et necis eidem concedere et denegare, aut rurſus adimere poteſt? Imo ſane: Qui iam dudum impiis hominibus brevem, piis vero prolixam vitam non ſolum promiſit ſed promiſſa quoque factis abunde comprobavit, quando mundum primum, omnesque in eo viventes contra et ſupra naturae ordinem, diluvio univerſali ſuffocavit, Patriarchis vero naturalem, et ordinarium vitae terminum, etiam inter ſtrages, et mortes aliorum hominum, ex meragratia longisſime ſuperare conceſſit: id quod etiam oraculum illud Regum ſapientiſſimi confirmare videtur ubi inquit: non eſt ſapientia, neque prudentia, neque conſilium contra Dominum: Equus inſtruitur ad diem belli, a Domino autem datur ſalus: quem locum Rabinos in hunc ſenſum explicare vidi: Quamvis parent equum ad fugiendum propter diem proelii, non erit tamen potentia evadendi, et ſalvandi vitam ſuam, quia Iehova eſt ſalus, et dabit eam, cuicunq; voluerit: Quanta ergo, ex his concludunt illi, audacia, quantaq; in Deum iniuria, aut ſacrilegium fuerit, ſi quis executionem rerum tam certam, et infallibilem non ſolum a praeſcientia, ſed etiam decreto divino ſeiungere vellet: unde enim quaeſo praeſcientiae certitudo, ſi decretum hic nullum agnoſcendum? aut an propterea apud Deum plane incertum, nec determinatum eſt, quicquid contingens eſt antequam exiſtit? minime gentium: Quomodo, niſi ex cognitione boni antea ignorati, quod nondum voluerit, velle inciperet; vel ex improviſa ſive re-

rum sive sui mutatione, quod antea voluerat velle desineret? Multo minus voluntatis vertibilitatem Deo concedere, aut solum cogitare fas erit, utpote quis aut in constantiam animi, aut ignorantiam necessario supponit; Indeque tandem cum Augustino exclamant: Illum Deum non colimus, qui naturis a se creatis et subsistendi, et movendi initia finesque constituit, qui rerum omnium causas habet, novit atque disponit; qui secundum illam voluutatem suam, quae cum ipsius praescientia sempiterna est, profecto in coelo.et in terra omnia quaecunque voluit, non solum praeterita, sed etiam futura iam fecit. Haec inquam et huiusmodi plura alia momenta ad confirmandum vitae humanae fatalem terminum a Reformatis non solum, sed aliis quoque, non absque veritatis specie afferri, multisque persuaderi audivi. Verum enim vero, omnes istos nec providentiam a praedestinatione, vel decreto divino, eoque vel absoluto, vel cum conditione facto; nec terminum vitae ordinarium ab extraordinario, aut naturalem a supra naturali distingvere, quis non videt. Habet omnino, uti est in oraculis divinis, quilibet mortalium vitae suae terminum, et numerus dierum, mensiumque nostrorum penes Deum, quem nemo transgressus est, aut transgredietur unquam; imo fatemur et profitemur omnes, non tantum terminum vitae nostrae, sed etiam genus mortis iam ab aeterno a Deo omniscio praevisum, adeoque certissimum et infallibile, ast propterea non statim absolute decretum et fatale esse, adeo ut ita et non aliter fierent omnia quae in mundo fiunt, et mala omnia. Deus praevidit, imo praedixit plurima non autem, ut talia fierent decrevit, vel si etiam decrevit, ea tantum intuitu causarum intervenientium, et sub conditionibus aeque praevisis, ita destinavit et praedixit, indeque non raro rursus mutavit, adeo pulchre et decretum Dei conditionatum, et vitae prorogatio, vel etiam interruptio inter se consentiunt. Id quod vel solo exemplo Ezechiae patescit satis et confirmatur, cui quidem vitae terminum destinaverat, sed precibus et lacrymis ipsius inductus in annos quindecim prorogabat: Si autem terminus istum absolute et sine conditione Deus decrevisset, eundem quoque mutare haud potuisset, vel quin mutavit, se ipsum mutabilem minusque constantem exhibuisset; quod utrumque sane impium, nec ab ipsis dissentientibus forte admittitur. Si absolute definita hominibus hora, genusque invitis forent, loquor cum B. Dannhauero, frustraneae sane essent omnes promissiones longaevitatis, et preces pro eadem institutae; frustraneae quoque comminationes brevioris vitae et excidii: Ridiculi forent, qui aut fugiunt pericula, aut vitae servandae media quaerunt. Nullus medicamentorum omnium, quae tamen e terra creavit Dominus, nullusque artis medicae usus foret. Quae omnia cum revera ita sint, nec insolita illa vivendi prolixitas Patriarchis olim Deo extra ordinem naturae concessa, contrarium svadere nobis potest. Quidni enim speciali gratiae et voluntati divina, aut secreto Dei iudicio ea tribuenda, quae nascente adhuc mundo, generis humani propagationem, et cum ea Ecclesiae amplificationem mirum quantum promovebat. Quamvis etiam plures alias causas quae longaevitati illi Patriarcharum forte non parum profuere, afferre in medium possem. Sic temperamentorum, uti existimo, bonitas et integritas in vegetiori illo primi seculi vigore, a Parentibus adhuc sanis in posteros propagata, procul dubio iniuriis externis, quibuscunque resistere facilius potuit.

Quid dicam de ipsorum frugalitate, et temperatissimo rerum omnium, ciborum, potuum, veneris, aliarumque usu; de salubritate itidem coeli et regionis, quam orientem versus inhabitabant illi; nec non de bonitate ipsorum alimentorum, ante inundationem terrarum adhuc integra, minusq; contaminata. Quae omnia alios valetudini nostrae mirifice favent, et ad longiorem ipsius conservationem adhuc faciunt: Postquam vero per diluvium non solum universale illud, sed subinde quoq; plura alia particularia subsecuta terrae et in iisdem nascentia alimenta innumeris impuritatibus salinis, sulphureis putridis aliisque imbuta fuere, fieri aliter non potuit, quin praeter errores alios, ex his nutriti nostri maiores varia morborum mortisque semina conceperint: et quoniam exinde parentes morbosi peiores genuerunt avis suis, quid mirum, quod semina morborum et mortis quasi per traducem propagata altiores subinde radices egerint, indeque universa natura olim benignissima nunc tristior noverca, quibus nos tueri et sustinere debebat, per eadem nobis

nobis perniciem creet, et vitam breviorem? Nihilominus tamen, ne quis vitae nostrae terminum septuaginta praecise, vel octoginta annorum spacio inclusum, et definitum esse putet, innumera a diluvio ad haec usque tempora exempla illorum qui licet non ad aliquot centenos, ultra tamen centum annos vitam protraxerunt, obvia sunt, e quorum abundanti copia pauca solum, quoniam brevitati mihi studendum esse intelligo, eaque fide digna hic commemorare iuvabit.

Ita Essenos olim longissimae vitae fuisse, et plerosque eorum ad centenariam aetatem pervenisse, gravis autor Iosephus de bello Iudacio testis est. Quemadmodum etiam Iohannem Apostolum post gloriosam Christi ascensionem annos adhuc sexaginta et octo, St. vero Iacobum minorem ieiuniis continuo vacantem, et carnibus vinoque abstinentem, nonaginta et sex, et St. Simonem demum centesimo et vigesimo aetatis anno martyrio afflictum esse, annales ni fallor, sacri confirmant: ubi etiam de Dorothaeo Praesule illo Antiocheno, Simone Cleopha Episcopo Hierosolymitano, aliisque patribus, qui multas, magnasque vivendi metas attigerunt, plura legi possunt. Mihi vero in promptu sunt multa alia exempla, e foro meo petita, imprimis Hippocratis, Galeni, Avenzoae, Averroes et qui testibus Caelio, Fulgoso, aliisque annum centesimum proxime attigerunt, si non superarunt: De Galeno vero nostro inquit in specie Fulgosus: Pergamenus medica arte excellens nos sufficienter docuit, quantum sua arte possit. Semper enim prospera valetudine usus est, aetate usque ad centum fere annos producta. Eidem Fulgoso si credimus, Samius ille Senex ad annum centesimum decimum septimum vitam suam produxit integer, nulla unquam a quinquagesimo aetatis anno adversa valetudine tentatus: aeque ac Herodicus philosophus, cuius Plato de Republica meminit, ipso Aristotele teste, teneram alioquin corporis texturam nactus, diaetae convenientis beneficio, cum tabidus putaretur, annum tamen centesimum vivendo attigit. Sic Georgius Leontius centesimum et septimum, Deoeveritus centesimum et nonum, Seneca centesimum et quartum, Nicolaus Leonicenus Vincentinus, teste ipsius discipulo Montano, centesimum sextum, et Apollonius Thyaneus centesimum annum nulla difficultate compleverunt, cuius posterioris av9 annos centum et triginta vixit. Vt taceam Isocratem, qui Ciceronis, aliorumque testimonio, anno demum nonagesimo librum, Panathenaicus dictum edidit, nec tum annum nonagesimum octavum agens ab erudiendis discipulis vacavit. Audiamus Plinium de longaevis Romanis Lib. VII. differentem, quorum aetates eo certius sciri poterant, quando census agebantur. Accedunt, inquit ibidem, experimenta, et exempla recentissimi census, quem intra quadrienium Imperantes Caesares Vespasiani, pater, filiusque censores egerunt: Nec sunt omnia vasaria excutienda: mediae tantum partis inter Apenninum Padumque ponemus exempla: centum viginti annos Parmae tres edidere: Brixelli unus centum et viginti quinque: Placentiae duo centum et triginta, Faventiae una mulier et triginta duo: Bononiae L. Terentius, M. Felix: Arimini vero M. Apomus C. et L. Tertulla centum et tringinta septem, et ac ne pluribus moremur in re confessa, pergit idem Plinius, in regione Italiae octava, centenum annorum censi sunt homines quinquaginta quatuor: centenum denum homines quinquaginta septem: centenum vicenum quinum homines duo: centenum tricenum homines quatuor: centenum tricenum quinum, aut septinum totidem; Centenum quadraganum homines tres. Et de suo aevo Iosephus Scaliger, multiiugae eruditionis Vir, Elencho Orat. I. Chronol. David. Paraei ita perphibet: Nos possumus producere quos centum et viginti, centum et viginti quinque, imo centum et triginta annos vitae explevisse scimus, vidimus, meminimus: unus etiam senex amicis nostris miraculo fuit Lutetiae anno millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, qui miles pugnae montis Lehenii interfuerat sub Ludovico XI. maior annorum centum et quadraginta omnibus membrorum officiis adhuc integris, litis persequendae gratia Lutetiam se contulit. Et ne remotis nimium exemplis in haerere videar, nec defuerunt nuperis temporibus eiusmodi longaevi centenarii quorum quidem prolixam seriem non ex vulgi relationibus, sed propria experientia annotarunt Bartholinus, Borellus, Langius, Meibomius aliique. In mea inquit laudatus

datus Meibomius epistola de longaevis ad grandaevum senem, serenissimum Principem, Dn. Augustum Ducem Brunsvicensem ac Luneburgensem, quoque familia notabile exemplum occurrit: Bernhardus nimirum Dreierus, senator Lemgoviensis, Pater celebris Theologi Iohannis Dreieri ad annum usque aetatis centesimum vigesimum pervenit. Recensere etiam ego non paucos possem, qui mihi in variis Europae locis occurrerunt, centenarium transgressi, et adhuc notus est aulicus Dessaviensis, qui nuper admodum circa festum Iohannis annum centesimum complevit, pro aetate tanta optime valens. Ex quibus igitur omnibus relinquitur, aetatem hominum uti supra dixi, non praecise septuaginta, vel octoginta annorum spatio includi, ac etiamnum homines nasci tam firma membrorum omnium compage, humorumque temperatura aptissima et laudabili praeditos, quorum beneficio, imprimis si bene nati conditionē illam, et robur partium, decenti diaeta, conservare norunt, longioris omnino vitae capaces fieri queunt. Sicut enim, qui in stadio currunt, terminum alii non attingunt, alii etiam praetereunt, et extra fines praescriptos procedunt: Ita in hoc vitae nostrae curriculo aliquos subinde, qui terminum communem transgrediuntur, plures vero, qui ne quidem dimidium eius attingunt, invenias.

nullis omnino sumtibus pepercit, ut decus et maiorem florem literis earundemque statoribus conciliaret. Sed ubi et hic non hostium telis, quippe quae inter animo semper imperterrito versabatur, anno tertio et nonagesimo Tubingae animam efflasset, alios nacta est Academia Nutritores Indulgentissimos, siquidem sub umbra utriusque Sobolis Serenissimae, IOANNIS GEORGII IV. et FRIDERICI AVGVSTI in hunc usque diem tuta delituit ac secura. Quamvis enim FRIDERICVS AVGVSTVS diademate cinctus regio apud Sarmatas nunc agat, et lorica atque gladio coruscans pro regionibus sibi concreditis fortiter depugnet, rerum tamen nostrarum curam non abiecit, sed novis potius iisque clarissimis amoris et paterni affectus radiis hanc recti decoris palaestram refovet, collustratque largiter. Obversatur omnium oculis atq; auribus Regia EIVSDEM et Electoralis munificentia, qua Iubila haec adornare et Natales inclutae huius Academiae rite ex instituto Maiorum denuo celebrare licet. Spreta sane et ob senium ferme fastidita solitudinem suam deploraret alma studiorum Altrix, nisi per regiam FRIDERICI AVGVSTI manum potentissime erecta, frontem explicuisset, et ex propensiori HVIVS Ipsius voluntate FRIDERICVM AVGVSTVM Iuniorem sex abhinc mensibus sub Illustrissimo RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI Charactere praeter spem et expectationem omnem temporum difficultatibus atque iniuriis opposuisset. DEVM itaque omnium rerum conditorem et conservatorem devoto mentis cultu ad Maiestatis coelestis solium prostrati supplices veneramur, comprecamur et poscimus, velit FRIDFRICVM AVGVSTVM Poloniarum Regem et Saxonum Electorem Potentissimum, Dominum ac Nutricium nostrum longe Clementissimum, una cum MATRE et CONIVGE Serenissimis, PRINCIPE REGIO eodemque Vnico FRIDERICO AVGVSTO Elect. Sax. Herede, itemque reliquis Vniversae Domus Saxonicae PRINCIPIBVS velut pupillam oculi solicite tueri et defendere, quo sub olivetis et ruta Domus Saxonicae Academia haec Electoralis tanquam invictum quoddam veritatis divinae asylum, per ventura quaecunque Secula barbariem, si qua sacras et profanas literas invaserit, debellatam proscribat felicissime. Faxit unica ista et inexhausta omnis boni scaturigo, DEVS immortalis, ut ex hac Musarum sede emissa ingenia PATRIAE et ORBI, qua late patet, erudito fructus ubertim ferant amoenissimos, florentissimaque haec bonarum artium officina nec per arma aliasve calamitates, nec per vitia malis omnibus maiora unquam affligatur, sed contra divinitus incolumis vindicetur. Tuum, AETERNE PATER, munus est, Tuum est beneficium, quod in Illustrissimo hoc Conseßu salvis Ecclesiae et Academiae rebus seculares, vel potius immortales gratias hodierno die Tibi statuere queamus! Confringas, quaesumus, scuta ac gladios, nobisque pariter et communi Rei Christianae almam et sinceram pacem pro immensa Tua benignitate clementissime concedas, ut virtutum studia refloreant, leges armorum strepitu passim depressae surgant, bonae artes antiquum decus reparent, et Docentium aeque ac discentium conatus laboresque et consilia, Academiae, Ecclesiae, Reique publicae grata, gloriosa, honorifica cedant FELICITER!

Quod superest, ad pedes RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI DN. FRIDERICI AVGVSTI Principis Regii et Electoratus Saxonici Heredis, Domini ac Nutricii nostri indulgentissimi humillimus Ego ac devotus EIVSDEM servus submisse me devolvo, et ut Serenissimi PRINCIPIS arbitrio purpuram cum sceptris et reliquis ornamentis Academicis, sex abhinc mensibus vicario nomine mihi demandatis, penitus iterum permitto; ita DEVM veneror immortalem, velit SPEM hanc PATRIAE unicam atque florentissimam contra mala quaecunque firmiter munire, quo tanto praesidio atque firmamento SAXONES subnixi pectora confirment, et ora sua cuique fortunae faciei imperterriti obvertant. Nos, qui PRINCIPI TIBI REGIO devoti oscula iam figimus, et e longinquo tanquam Soli nostro cultum testamur, Numini Tuo Vrbem Eiusdemque cumprimis ocellum Academiam commendamus supplices, faustaque omnia atque fortunata sub ipsis Seculi Academici, quod iam exordimur, Tertii auspiciis firmiter ac certo nobis pollicemur.

Cae-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0084-6 DFG

Caeterum cum per teneram Tuam, PRINCEPS AVGVSTISSIME, aetatem fieri non posſit, ut Rei huius publicae literariae gubernacula IPSE iam tractes, Eum, quem ex arbitrio Tuo pridie PRORECTOREM in proximi ſemeſtris ſpatium uno animo deſignavimus, rite et ex inſtituto Maiorum poſtquam hoſce intra cancellos ardui officii partes religioſe in ſe ſuſcepit, ſolenniter inaugurabor.

QVOD ITAQVE FELIX, FAVSTVM fortunatumque ſit, et Eccleſiae atque univerſae literariae rei utile ac ſalutare, ego IOH. CHRISTOPHORVS VVICHMANSHAVSEN, Sanctae et Orientalium Lingvarum in hac Academia Prof. Publ. autoritate PRINCIPIS Sereniſſimi, et concordibus Senatus Academici ſuffragiis ſtipatus TE, VIR Summe Reverende, Amplisſime, Excellentisſimeque, Domine IOANNES GEORGI NEVMANNE, SS. Theologiae Doctor, Eiusdemque Profeſſor Publice celeberrime, Stipendiatorum Electoralium Ephore et Academiae Bibliothecarie, Patrone et Collega coniunctisſime, TE, inquam Tertiae AEtatis Academicae PRORECTOREM PRIMVM creo iam, ac renuncio, et cum amplisſima hac dignitate quicquid curarum, ſolicitudinumque et laborum Rectura poſcit Academica per ſancta ſymbola TIBI ſimul addico.

PRIMVM, quod hic conſpicis, SCEPTRA ſunt, Imperii noſtri Scholaſtici inſignia, quae ut dignam PRORECTORE gravitatem et comitatem Tibi commendant, ita Academicis eam, quam ſubiecti ſceptro debent, reverentiam et obſequium iniungunt.

CODEX STATVTORVM, quem SCEPTRIS ſtatim addo, iis, qui in coetu hoc erudito degere diſcupiunt, certam vivendi normam atque regulam inculcat. Has iuxta leges moderaberis Tua iudicia, has cum Civibus communicabis frequentius, et quaecunque tandem ad Tuam ſpectabunt adminiſtrationem, ad easdem iuſtam veluti iuſtitiae trutinam diligenter revocabis.

SIGILLVM, quod fidei et cuſtodiae Tuae concredo, firmum autoritati robur conciliat. Vtaris eodem ad ſignandas literas et Programmata, ad Decreta publica firmanda, atque ingenuos Cives, qui vitae et morum teſtimonia modeſte a Te expetunt, adiuves promtisſime.

CLAVES, quas produco, Archivi, Collegiorum et reliquorum, quae Academiae ſunt, aedificiorum curam non minus ſedulam frequentemque inſpectionem tacite a Te requirunt. His reſerari vel obſerari, claudi vel etiam recludi, prout res et occaſio eiusmodi quid poſtulaverit, cuncta poterunt, et ſi qua flecti neſcia immorigerorum pertinacia poenam efflagitabit, carceris quoque claves praeſto Tibi ſunt.

Pergo nunc ad EPOMIDEM ſive purpuram, non veterem iſtam ſex abhinc menſibus mihi oblatam, ſed novam eandemque ſic ſatis elegantem. Hac ut omnium primus fauſto felicique omine humeros Tuos exorno, ita Deum veneror immortalem, ut ſub onere hoc, quod aſpectu quidem iucundum eſt atque ſplendidum, ſed ob omnis generis, quae ſecum fert, faſtidia et moleſtias plurimum grave, neutiquam ſuccumbas.

PILEVM tandem eam ob cauſam Capiti tuo impono, ut in eminentiori loco ita collocatus, libertatis ac ſummae, qua coruſcas, poteſtatis indicium, Cunctis exhibeat, Tibique illuſtris ſpectatae fidei teſſera non deſit, qua ſtudioſae Iuventutis ac reliquorum Academicae Iurisdictioni ſubiectorum Civium oculos ultro in Te convertere, animosque omnium absque negotio posſis pertrahere DEVS, cui negotia tua hactenus multum curae fuerunt, et impoſterum ſecurum Te eſſe iubeat, ac praecipue in arduo, quod ingrederis, munere, praeſentisſime Tibi adſit, quo tuo ſub moderamine tranquille omnia, quiete ac pacifice procedant, novaque Academiae gloria cum Novo Seculo, conſiliis, laboribus ac conatibus tuis, quos amplificandis Eius commodis impenſurus es, in dies aucta, novo quodam exemplo, quod omnis miretur poſteritas, efflorescat.

Quibus rite peractis Primus Ego PRINCIPIS Noſtri Sereniſſimi,

mi, sed ultimus Seculi Academici secundi PRORECTOR inter exultantis atq; tripudiantis almae Matris brachia, Eiusdem fata tandem concludo, et expirantem inter atque denuo renascentem medius quasi constitutus, Secularis huius Festi solennia, quae cum fidibus tibiae variique vocum moduli, cum sonantibus tympanis et concinenbus tubis bombardarum tormentorumque fragores illustrissima reddunt, hodierno die concelebramus, hilari ac devota mente contemplor. Paravit Nobis haec gaudia, quod ultima repetentibus tempora obscurum esse non potest, FRIDERICVS III. a singulari, qua praeditus fuit, ingenii felicitate, SAPIENS dictus, qui ut Academiae huius Fundator extitit Gloriosissimus, ac dote splendidissima Eandem insimul instruxit, ita tumbam atque statuam EIVS indextra Altaris parte hodienum conspicuam, et cui faciem suam e regione obvertit FRATER Serenissimus, ob imperterritum, quem semper prae se ferebat, animum, CONSTANS cognominatus, non sine grata mentis recordatione ac memoria nunc intuemur. O! si fieri posset, ut, FRIDERICE, una cum Fratre Tuo Constantissimo IOANNE, qui sub habitu Electorali, districtisque gladiis hic comparetis, laeto huic spectaculo vivus interesses, nae istam divinam et prorsus singularem, quae per integra duo Secula Scholae per Te erectae obtigit, felicitatem plurimum mirareris nobiscum atque praedicares. Et quid quaeso, Auditores, de LVTHERO et MELANCHTHONE quorum cerae et imagines cum exuviis in Arcis hoc Templo magna diligentia asservantur, expectandum foret, si et ipsis Nobiscum in praesens hic daretur iubilare? Nonne stupenda et Religioni atque literis per hoc quoque Seculum a DEO Optimo Maximo largiter concessa beneficia summopere mirarentur? Nonne ad alia atque alia laetitiae ac devotae mentis signa edenda certatim nos evocarent? Videor mihi audire quanto Nobis studio, quanto ardore, et quanta religione cum templo hoc Academiam, itemque universam, qua late patet, DEI veram Ecclesiam orbemque doctiorem commendent, Nosque ad pietatem, fidemque et constantiam, quippe quibus Iubila haec accepta feramus, uno ore admoneant! Agite itaque PATRES, et ardua inter, quibus distinemini negotia, HEROVM horum vestigia constanter premite, et in id sedulo incumbite, ut puriora cum coelestis tum humanae doctrinae placita, tanto Zelo cum praesentissimo saepius periculo coniuncto, per Maiores nostros vindicata, strenue conservetis, et ad seram usque posteritatem illibata et pura transmittatis.

Tu vero, AEterne DEVS, Pater Domini nostri IESV CHRISTI, serva et inposterum hanc Scholam, nec sine eam dissipari peste, fame, seditionibus, dissidiis, bellis externis pariter et internis! Fac PATER Coelestis, ut in eadem continuo splendeat Lux doctrinae celestis propter unigenitum Filium Tuum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM crucifixum pro nobis, et resuscitatum, qui sedens ad dextram tuam regnat tecum pari potentia, et tuetur, atque custodit Ecclesiam suam in SPIRITV SANCTO, cui cum PATRE et FILIO sit laus, honor et gloria in Secula Seculorum. Amen.

DIXI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0086-7 DFG

XVI.

ORATIO SOLENNIS, SECVNDO ACADEMIAE VITEMBERGENSIS SECVLO, IN AEDE ARCIS DICTA,

A

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

XV. CALEND. NOVEMBR.

clo IocCCII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0087-3 DFG

Potentissimi Sarmatiae Regis, et Saxoniae PR. Electoris, Serenissimi Principis Regii, et EL. Saxoniae Heredis, Magnificentissimi Academiae Rectoris, Legati Perillustres atque Excellentissimi,

Prorector Magnifice,

Delegati et Hospites splendidissimi,

Proceres ac Patres omnium Ordinum gravissimi,

Cives denique et Auditores generosissimi, nobilissimi, honoratissimique.

SAepe quidem in hunc locum dicendi causa ascendi, sed nunquam maiori metu et verecundia, atque hac ipsa die, cum religione auspicii, tum maiorum instituto sanctissima, qua comitium in templo huius arcis videre mihi videor, quod nostra patrumque memoria nemini contigit, nobis autem vivis et videntibus, ac valentibus hodie usu venit. Magnum hoc Dei immortalis beneficium est, quod non vana spe deducti ad eam cogitationem sumus, ut quamvis timidi et dubitantes, nobisque ipsis quodammodo diffidentes, tamen nihilo secius nostri similes, desiderium ferremus illius temporis, quo debitum parenti Academiae honorem reddimus, et secundi eius seculi memoriam renovamus. Nihil iam nobis fortunatius est, quod expectationi nostrae laetissimus respondit eventus, et vota patrum non tantum eventu comprobata, sed etiam prospero rerum successu plane superata sunt, adeo ut omnium aetatum et ordinum consensus ad concelebrandam nostratis sacri solennis dignitatem conspirare videatur. Tanta est studiorum et voluntatum similitudo, tanta in mutuis gratulandi officiis animorum contentio, tantusque acclamantium strepitus passim et plausus, ut arae istae, ac pulpita exultare gestiant, et parietes quoque ac tecta huius aedis propemodum gaudii sensum prae se ferant. Omnes Vrbis regiones vocibus bene precantium personant, et communis laetitiae vim percipiunt, apertisque signis, et magno apparatu, cunctis inspectantibus, declarant. Fato quodam divinoque consilio haec fiunt, ut nos de officio commoneant, et magnitudinem beneficiorum, quibus cumulati sumus, palam ante oculos ponant, et summi rerum effectoris curam de nobis, providentiamque confirment. Equidem Thebana Vrbs gloriata est, se Deos genuisse, qui praesint rebus hominum, et praesideant orbi terrarum: sed dixerint hoc Thebani, ambitione elati, sive, ut arbitror, nimia superstitione decepti: non id sibi sumit haec erudita civitas, neque ementitur auctoritatem, neque iactat Deorum originem, Viris tamen Dei amantibus, et multa eruditione praeditis, quos aluit et extulit, merito gloriatur. Haec palma nobis data est, ut impia Thebanorum numina Thebanis relinquamus. Sevocandus ab ea opinione animus est, quae loci huius sanctitatem contaminat ac foedat. Cum Thebis Troia contendit, et sibi gratulata est, quod non extructa ab hominibus, sed a Diis, Apolline et Neptuno, condita et constituta, horum se praesidio tutam, et sempiternam fore existimaret. At ea praeterquam quod decus et amplitudinem regni amisit, funditus quoque eversa, et igni deleta, nunc tota in ruinis

nis iacet, et vix vestigium retinet antiquae sedis. Miseros vero istos et superstitione depravatos homines, coecis ducibus, in viam sane praecipitem, tenebrisque oppletam ingressos, quippe qui in maximo rerum optimarum discrimine, veras utique utilitates suas ignorarunt. Atenimvero discussa est caligo istorum temporum, et coelum antea nebulis ac nubibus obscuratum, quasique obducta nocte, ad aspectum triste, et horroris plenum, repente mutavit faciem, et solem denuo orientem ostendit, cuius luce, qua nihil optatius est, etiam nunc collustramur. Huius vero mercedem laudis desiderant literarum vindices, ut ingenio acres, sic multiplici doctrina praestantes, et ad nostrum ac posteritatis emolumentum divinitus dati, quorum alter Augustinum reddidit, alter Lactantium studiis liberalibus adaequavit, et ipsas fere Athenas ab ultima usque Graecia in hanc Vrbem, mira quadam et incomparabili solertia, perduxit. Quae felicitas fortissimae Saxonum genti reservata est, ut sacra et literas in pristinam dignitatem vindicaret; quod Graecia non potuit, Hesperia nunquam ausa est, ceterae orbis partes fatali superiorum temporum languore praetermiserunt.

Sed unus inter omnes repertus est FRIDERICVS III. Septemvir Saxo, cognomine sapiens, qui etsi multas Europae et Asiae regiones provinciasque obiit ac perlustravit, et maria transmisit, ac Palaestinam oculis atque animo contemplatus est: hic tamen invenit, quod alibi invenire non poterat, et magna itinerum molestia, etiam in terra, nativitate et habitatione Servatoris culta olim et nobilitata, multum diligenterque quaerebat: hic demum, alia omnia cogitans, quod tam enixe petebat, auspicato obtinuit, magnumque Dei beneficium agnovit, et veneratus est Princeps sine exemplo maximus, et summo rerum fastigio, quod prudens recusaverat, dignissimus omnino habitus, et una voce ac sententia Principum, Imperatores eligentium, Augustus, cum vacaret Augusto Imperium, designatus. Qvae incredibilis modestia magno ei fuit quaestui, et mirifice auxit gloriam Principis, quod Austriae commoda Saxoniae commodis anteponeret, et deprecando honorem, simul offensae et aemulationis periculum sapientissime declinaret. Ex eo tempore pater Imperatoris appellatus, et omnibus officiis cultus, inter aequales auctoritate, usu, prudentia eminuit, et gravissimis domi forisque laboribus continenter est perfunctus. Hoc duce et adiutore consilio maximus ille Aemilianus, velut Theseo, usus est, et ancipiti rerum statu, primum ei dicendae sententiae locum reliquit, ut appareret, quanti faceret Principem, et quantam in eo spem, conturbatis Imperii rationibus, reponeret, cuius fidem, iudicium, constantiam in omnibus vitae munerisque partibus perspexerat, quemque non magis composite, quam caute loqui cognorat. Temeritas ab sapientia disfidet, et rationi adversatur: utramque a negotiis ita seiungebat sapientissimus Septemvir, ut quotiescunque pro republica diceret ipse et ageret, omnes agendi causas, instrumenta, occasiones praeclare intelligeret, subsidiaque ad conficiendum haberet promptissima, et praeciperet futura animo, et provisis ante ac praeparatis difficultatum remediis, quid cuique aptum esset, quidque temporum et locorum opportunitati serviret, rationibus subductis, observaret tempestive, et consideraret accurate. Otium a republica nactus, ad animi delectationem, sive ut apertius loquar, ad cognitionem rerum pulcherrimarum, atque ad ipsas literarum delicias se comparavit statim et contulit, ac studio et cupiditate sciendi adductus, hic sedem literis constituit, hic domicilium eruditionis collocavit, hic artes et disciplinas humano generi necessarias, sed a barbarie foedatas, instauravit; hic literas contra fortunae impetum firmavit, hic literatis Socratici

tici moris exemplum prodidit, et cumulatissima in eos beneficia contulit, atqve omnia ad bene beateqve vivendum utilia, curavit large, et copiose suppeditavit: hic templum divinae humanaeque sapientiae dedicavit, hic monimentum sibi et posteris excitavit, et memoriam consiliis factisque consecravit, Princeps auctoritate potens, prudentia admirabilis, et cum Amphiarao ac Palamede, Nestore et Vlysse comparandus, divinisqve laudibus ornandus. Enimvero sapientiae nomine commovit Germaniam, et Galliam, Italiamque ad magnam admirationem traduxit, Polichio perinde, ac Achilles quondam, Graecorũ princeps, Chirone suo usus, et doctrinae studiis non minorem, quam armis, laudem assecutus. Quae Friderici fama ut in Graeciam, et transmarinas regiones pervasit, ipsamque Asiam peragravit: sic omnium prope gentium linguis celebrata, vigebit in hominum animis, dum rerum Germanicarum memoria manebit, Saxoniaque perseverabit in posteris, et nulla rerum Saxonicarum oblivione capietur. Qvare liberalibus doctrinis ultro honorem habuit, quarum ope res magnas perfecit, et consulendo, agendo, vigilando rempublicam, praesertim formidoloso interregni tempore, sapienter administravit, Porcium Catonem secutus, quum Caesarem opportune submonuit, et parum ex usu illius aetatis suadentem, correxit leniter, ac dubitantem oratione sua reduxit in viam. Ipse divus, et providus futuri Avus, per dextram, per Imperii decus, perque regni ad Germanos delati fidem, rogavit Fridericum et obtestatus est, ut nepotum suorum curam ne abiiceret, horumque natu maiorem praecipue suffragio iuvaret, atque eo officii genere arctius devinciret, et amore quasi filium prosequeretur. Vincula propinquitatis, benevolentiae, et charitatis retinebant Fridericum, pondusqve apud eum habebant, ut promissi fidem praestaret, et rebus factisque sapientiae laudem servaret, et Iugurthae calliditatem perfidiamque detestaretur, qui duos Masinissae nepotes, neglecta patris commendatione, non modo non iuvit, sed regno fortunisque evertit. Plus auctoritas Maximiliani valuit, et melior Caroli ac Ferdinandi fratrum, quam duorum Micipsae filiorum, conditio fuit: alter Friderico annitente, suscepit Imperii infulas, et in summo augustae dignitatis gradu collocatus, ad eam nominis potentiaeque amplitudinem, ad quam nemo ante ipsum, pervenit: alter, rebus auspicio fraterno confirmatis, altius nitendi facultatem consecutus, magnum deinde ad incrementa gentis adiumentum habuit, ac robur.

Cum Fridericus salutari consilio ad divinae mentis similitudinem accessisset, tum IOANNES pietatis ardore incensus, fratrem exaequavit beneficiis, et firmitate animi erexit Saxones, ut a dolore ad laetitiam revocati, spem in bonitate Principis reponerent, et metu ac solicitudine levarentur. Cuius in praecordiis insedit constantia, et vel ex eo gloriae cumulus ad ceteras Ioannis laudes accessit, quod in animi sanctimonia defixus, non adumbrata religionis specie, sed interioribus verae coelestisque fiduciae ornamentis excoluit mentem ac muniit, nulla temporum perturbatione impeditus, nec fulmine et prodigiis, nec solis lunaeque defectu, neque alitis volatu, et oscinis cantu perterritus, sed pietate sua tutus, quasique vallo septus, etiamsi terrae desiderent, coelumque descenderet, et mundus incendio conflagraret, atque omnia sursum deorsum ferrentur. Qua inductione animi clavum tenuit, et quomodo tenendus cum dignitate sit, exemplo docuit, ac signa tempestatis futurae, tranquillo mari, praevidit, cum aura benignior paulatim cessaret, ventusque flaret vehemens, et fluctus commoveret. Stabat pro libertate, et pro negotii gravitate advigilabat, ut peritus gubernator solet, qui priusquam ex portu solvat, omnia eo dirigit, ut navem instru-

instructam, atque expeditam habeat, ad celeres certosque cursus toto mari conficiendos. Haud alium pro Republica laborem suscepit Princeps, et sustinuit, magnamque a patria tempestatem avertit, sedato effrenatorum motu, fracto turbulentorum impetu, compressa seditiosorum audacia, frenisque furori perduellium iniectis. Haec regendi provincia decebat acerrimum iustitiae vindicem, qui nullis precibus, nulla vi, nullis artibus permoveri poterat, ut laxamentum daret legibus, quae facinorosos tenebant, eos praesertim, qui pacem violassent, remque publicam turbassent. Temperabat nihilominus severitatem clementia, et asperitatem comitate quadam condiebat. Sed tempora deinceps consecuta sunt, quae tranquillitatem studiis eripuerunt, Saxoniamque bello afflixerunt, ut de capite et fortunis dimicarent Saxones, iamque libertas, et opes gentis in pari periculo versarentur. Non aliud diffidentis patriae remedium erat, quam ut placarent odia, et acerbitates lenirent. Horret animus vulnera et plagas, quas distracta contrariis Principum voluntatibus Saxonia accepit, nec tamen ad exitium usque pugnavit, sed novo coelestique beneficio, concordiam, amicitiam, necessitudinem pace denuo confirmavit. Etsi enim dux Graecorum Themistocles se potius, quam patriam, perire voluit, tamen pro fide sua, et ingenerata animis veneratione Saxones, non minori Principum, quam patriae amore ducebantur, curaque tangebantur servandi Herorum sanguinis, et propagandae ab eo posteritatis.

Rebus ergo compositis, revocata velut ab exilio Academia, feliciterque restituta, pristinum gloriae domicilium, in quo tuta conquiesceret, denuo invenit, et quod in Ioanne Friderico cognomine magnanimo amiserat, in Mauritio principe Martio, et Achille Saxonum, cumulatissime recepit. Tempestates repentinae quo plus virium habent, eo minus diuturnae sunt, et, sole aerem collustrante, citius dissipantur. Iratum aliquandiu Deum Saxonia habuit, nunquam tamen ad eam redacta est calamitatem, ut inops literarum, et expers bonorum esset, quae ex perenni coelestis doctrinae fonte in coetus hominum permanant. Hoc magis dolendum patriae fuit, eum interiisse, pro patriae salute dimicantem, qui inter arma leges defendit et literas, Academiam vero filiae loco habendam iudicavit, et constituta quasi de integro dote, locupletavit magis, et multo amplioribus praemiis ornavit, eaque virtute et liberalitate admirabili effecit, ut omnis posteritas ad maximam eius beneficentiae admirationem efferatur. Regium Principis animum nulla depressit calamitas, neque hostium pervertit calliditas, cum is esset, qui legibus pactisque staret, et malas artes infra se existimaret, et domi militiaeque improbaret. Qua animi constantia Reges vicit, atque in rebus humanis nihil fide praestantius duxit, ratus, humani generis pestem esse versutiam, propositumque fallendi. In bello etiam iustus, et ad benignitatem propensus, pepercit miseris, ignovit supplicibus, erexit iacentes, excitavit afflictos, restituit expulsos, recreavit languidos, confirmavit dubios, sustentavit anxios, protexit calamitosos. Vt semper domi forisque cogitaret Princeps fortissimus, quemadmodum cives servaret, et hominum inter homines officia devinciret, Principumque amicitias, quas bellum dissolverat, publicae utilitatis gratia, rursus conglutinaret. Tranquillis rebus, nihil ei magis in optatis fuit, quam ut stabiliret leges, et resecaret libidinem, vitiorumqve radices extirparet, eorum industriam imitatus, qvi diligenti agrorum cultu, succisis, quae nocent, herbis, multos atqve egregios fructus metunt, et mira ubertate merito laetantur. Hanc mentem iniecit civibus, et exemplo suo ad honestos labores incendit, et opibus atqve

ornamentis amplificavit, literatos autem, proposita mercede, incitavit acriter, et honoribus auxit, donisque cumulavit.

Ab hoc regalis munificentiae curriculo non deflexit AVGVSTVS, vel nominis indicio, dignitatis suae, et rerum Saxonicarum, quoad vita ei suppeditabat, amplificator. Nam eadem vi animorum, et pari ardore ac spiritu connitebantur Fratres Mauritius et Augustus, ille Saxonum Romulus, et terror hostium, et in ipsa morte victor, iste Numa, et emendator iudiciorum ac legum, Dei numine, consilioque Saxoniae dati, a quorum cogitatione nihil minus abfuit, quam cura eruditi huius ordinis, quem in sinu gremioque fovendum putarunt, et pristinum Vrbi ornamentum ac lumen, quod superioris belli calamitas eripuit fere, aut obscuravit quodammodo, conversis patriae rebus, gloriose reddiderunt. Duae faces plus lucent, clariusque effulgent, neque offusa aeri caligine, et repentino venti flatu protinus extingvuutur. Quod usu probarunt Divi Fratres, et conduplicato gloriae lumine, Saxoniam illustrarunt, atque omnium rerum instructu ornatuque, sempiternum decus, et splendorem, literis a temporum caligine vindicatis, in terrarum orbem, qua ingeniis excolitur, diffundere coeperunt.

Crimine ingrati me alligarem, si CHRISTIANVM praetermitterem, Principem beneficum, et ut amaret ornaretque Academiam, Patris exemplo adductum, eius vero Patris, qui eam ab interitu ad vitam revocavit, et desertam novis studiorum coloniis frequentavit, redintegratisque viribus firmavit, et multa dignitate, atque opibus honestavit. Ipsa haec universitas, et rerum natura ordine gaudet, et pulchra varietate omnia, quae continet, distinguit, atque admonet, ut ab alio ad aliud nexum inter se, aptumque, et congruens, certis quibusdam gradibus perveniamus. Quod eo magis a me fieri par est, quando Principum, qui virtutis suae effigiem reliqverunt in posteris, numerum inire, et cumulata benignitatis exempla, quae ad honorem fortunasque coetus nostri pertinent, generatim et universe, cum sigillatim non queam, percensere conabor. Nihil dum virtutis et succi in ruta exaruit, sed augetur quotidie, et cum aetate vires sumit, ac viriditatem quoque, perfrigida tempestate retinet, et contra coeli iniurias, imbres, nimbos, grandinem, tuetur.

Vigebat in CHRISTIANO pariter filio, et radice altius defixa, sua vi et velut robore collecto, se excitabat mirifice et explicabat, atque in fratrum pectora, tanquam in gloriae domicilia, immigrabat, et penitus se insinuabat. Ille quam potuit maxime viros ingenio et doctrina florentes praemiis affecit, magnisque stipendiis conductos retinuit, et beneficiis sibi obligavit: ne Vatem quidem tenui fortuna contempsit, neque ab aditu aulae removit, et sicubi se daret occasio, doctis omnibus aeqvum se praebuit, et ad sublevandas vitae miserias, ingenita quadam facilitate, propensum.

Qvod deinceps in eo Saxonia amisit, salvo et incolumi IOANNE GEORGIO, peropportune restitutum est, et foenore uberrimo compensatum. Haec enim virtus Principes a privatis disiungit longissime, et in loco atque gradu constituit altissimo, ut Parentes fortunae publicae vere meritoqve dicantur, certe expressam divinae mentis imaginem habere credantur, praesertim antiqua fide et constantia Saxones, inter quos nullus adhuc repertus est literarum hostis, nullus libertatis eversor et legum, qvibus Saxonia continetur. Qvorum benignitas, inprimis erga Academiam, flumina imitatur, quae

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0092-4 DFG

quae super ripas effusa, vix coerceri aggeribus possunt, vicinosqve agros inundant, et insigniter fertiles reddunt. Gentile bonum, et decus Saxoniae proprium est, aperire bonorum fontes, qvi perennes aquas fundant, neque tamen exhauriantur: praeterea omnibus pateant, neque advenientibus claudantur, multo minus labe facta, corrumpantur unquam, et obstruantur. Munera haec divina sunt, utilitate maxima, et multitudine propemodum infinita, non in terrae latebris, sed in animis nostris inclusa, ut in lucem exeant, et salubri suavitate permulceant, ne tenebris obruta, in obscuro iaceant, atque obsolescant.

Praeiverunt, et velut Imperatores signa praetulerunt TRES IOANNES GEORGII SAXONES, creandis, cum viverent, Augustis Imperatoribus nati, et sacra Imperii lege confirmati, qui dandis cumulandisque beneficiis certare voluerunt, et plura, quam speravimus, maiora, quam cogitavimus, perfecerunt. Horum Avus, perturbata discordiis republica, Deo atque Augusto Caesari militavit, ac deinde pro libertate bellum gessit, tantisper dum obliteratis offensionibus, instauraret concordiam, mutuisque officiis repararet amicitiam, et aequis denuo conditionibus firmaret pacem. Vtraque fortuna literas defendit, et virtutis disciplinam, constitutis studiorum subsidiis, tutatus est, atque in arduis patriae negotiis occupatus, gravissimos de salute Academiae sermones habuit, talemque se praestitit, qualem Priamus Nestorem praedicavit.

Longum est enumerare beneficia, quae apud nos collocavit FILIVS, Princeps regali benignitate par maioribus, constantia geminus, pietate haud inferior, iustitia similimus, et rerum in toga gestarum gloria maximus, quem SECVNDI cognomine Saxones appellamus. Re, quam verbis, ostendere maluit, quo in nos animo esset, quam fructus Academiae fieri ampliores vellet, quanto augendi nostratis aerarii, quod patrum memoria damnum fecerat, desiderio teneretur. Id vero praecipuum est IOANNIS GEORGII bonitatis exemplum, quod unus omnium cuperet expleri labentium fortunarum lacunas, et effusa hac liberalitate redderet Saxoniae Augustum, et refoveret literarum custodes, horumque aerumnis imponeret modum, et querentibus rei familiaris angustias, praecideret querendi occasionem. Nullas vitae rationes a sapientibus et doctis seiunctas esse voluit, et nihil praetermisit, quod illis adiumento esset, nihil reliqui fecit, quod ad augenda eorum commoda pertineret. Itaque locupletavit Academiae patrimonium, et amplius decem millia nummum in rempublicam literis florentem erogavit, et beneficia partim Patribus elargitus, partim alumnis impertitus est, attributis in victum cultumque pensionibus, ut vel ex his rebus receptae per IOANNEM GEORGIVM II. felicitatis documentum capiamus, non in Camillo, et Caecilio Numidico restitutae exemplum fortunae quaeramus.

Ab hoc patre tanquam altero Saxoniae Theodosio, ortus IOANNES GEORGIVS III. nihil, neque de paterna benignitate minuit, neque de maiorum gloria detraxit. Quae alii saepe non sine quadam satietate legunt, ea Princeps audivit intentius, et experiendo didicit accuratius, et deliberando confirmavit magis. Postea destitit nonnihil a togae studiis, et quod multis in rebus magno ei fuit usui, tractavit belli artes, et suas eo cogitationes retulit, ut facundiae militari assuesceret, nec magis pugnando praeiret cohortibus, quam hortando et monendo, ducis officium praestaret. Aliquanto post evenit, ut pro amore in patriam, sua sponte, et Principum, ad quos periculum pertinebat, rogatu, arma caperet, atque ordi-

nes

nes duceret, cum hostes Germaniam lacesserent, finibusque imminerent, et communi adeo libertati insidiarentur. Quibus se cum expedita Saxonum manu obiecit, et represso hostium impetu, nihil quietis causa sibi indulsit, atque in castris, Laconum disciplina, et consuetudine usus est, ut maioribus periculis servatus, idem, quod cum Laconibus olim Leonides, conficeret, ductuque suo comprobaret. Saxo enim in saltu Vindonensi, et monte Cetio, ad quem occupandum barbari tendebant, perinde ac Laco, in iugo montis, quem Graeci Thermopylas nominant, fortitudinis suae palmam tulit. Leonides Persarum agmen fatigavit diu, multumque afflixit: Saxo Thracum copias consilio et manu dissipavit ac delevit: Ille post egregium et acre praelium pro patria mortem oppetiit: Saxo edita hostium strage, superstes, victoriae fructum cepit, atque arcem Imperii, et Augusti sedem ex faucibus fati eripuit, Caesaremque Augustum in Vrbem, unde excesserat, reduxit, et caput rerum a calamitate et iniuria barbarorum defendit, ac defensa hac una Vrbe, non unum modo regnum, sed universum, quod in magno tunc discrimine erat, Imperium, submotis Thracibus, et Scythis, fide ac fortitudine sua liberavit. Compresso furore gentium immanissimarum, et illato ultimis Asiae finibus terrore, vix rediit, et Saxoniam revisit, cum Augusti Caesaris, Principumque legationibus et literis interpellatus, compositis antea Saxonum rebus, non deseruit amicos et socios, sed ad spem defensionis Germaniae exarsit, magnamque, suscepta expeditione, laudem consecutus, omnium vicit expectationem. Caesar Principe, tanquam Iupiter Prometheo, usus, eum ad societatem consilii, et negotiorum Imperii maximorum adhibuit, et pro salute fortunisque vicinorum propugnare iussit, et proficisci ad fines Rheni. Nullam Saxo moram interposuit, quin alienissimo etiam reipublicae tempore, populos auxilii egentes, adducto exercitu, erigeret praesens et confirmaret, quorum Principes vel mirati celeritatem adventus, vel imitati constantiam ducis, exemplo tali ad gloriam accendebantur. Ab ea fortitudinis maturitate plures et cumulatiores Saxonia fruges expectabat, sed fatum invidebat hanc messem, et tanto Principe spoliabat Saxones, et intempestive eripiebat fructum, quem indies locupletiorem fieri, intelligebant, et cupiebant pariter, effuseque gaudebant.

In huius Filio, IOANNE GEORGIO IV, divina eluxit indoles, et naturae dono usuque confirmata, cum ad res investigandas plurimum valuit, tum ad iudicandas praecipue adiumento fuit: ut vel hoc inquirendi studio, et inveniendi facultate summos aequaret artifices, et exteris, abdita quaeque scrutantibus, moveret admirationem. Neque omisit regendi artes, et, patre belli causa absente, interfuit consiliis, et patriam ornavit, eamque vitae rationem ingressus est, cum post multas variasque peregrinationes, ab Rheni limite, quo patrem prosecutus fuerat, reversus, omnes aetatis suae nervos ad togae studia contenderet, et res difficilimas, adiutore Saxoniae Lycurgo, explicaret, atque in Senatu sententiam diceret, et in summis Saxoniae iudiciis versaretur. Verum in conatu benigne faciendi ereptus, gloriam Fratri amplificandam reliquit, qui antequam iniret regnum, dignus regno habitus, regium esse duxit, benefacere, et beneficiis locupletare hunc coetum, liberalis doctrinae, cultusque ingeniorum causa a Divis maioribus constitutum. Hic pro sua virtute, mentisque magnitudine, literati ordinis honorem, privilegia et immunitates summa, et Regem decente constantia tuetur, ac literarum ornamenta ad hanc usque diem conservat, pristinumque illis reddit splendorem. Hic inter pericula, et belli labores, curasque regni publicas, voluntatem augendi census, addito ad superiora beneficia cumulo, per-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0094-6 DFG

perliberaliter declaravit, et attributo etiam luculento, iuxta Albim flumen, praedio, tabulis eam ad rem confectis, ultro confirmavit, et hac benefaciendi consuetudine Principes vicit, Reges exaeqvavit, Regum filios idem facere, exemplo docuit, et eodem erga literas sensu atque iudicio, gloriosam patrum suorum munificentiam imitari. Hic decus, quod ingenuae artes iure sibi vindicant, mire amplificavit, et patres praemiis excitavit, in qvibus Ambrosios et Sulpicios, Galenos et Themistios, voluntate stabiles, sententia firmos, moris disciplina graves, tota denique vita sedulos ac laboriosos contemplamur. Iactent Colossum Rhodii, Pharum Alexandrini, muros Babylonii, imo alii ipsius Minervae clypeo glorientur. Nobis unum et sempiternum est in literis praesidium, qvarum dignitas emori non potest, et in vitae luce posita, omnium seculorum memoria viget. Statuas, simulacra et moles delevit vetustas, monimenta in ruinis iacent. Nostra literarum parens, tales repentinosque casus non pertimescit, et in eodem statu permanens, incertas rerum temporumque vices secura, et sibi constans intuetur, Dei Regisqve scuto tecta hucusqve et tuta, FRIDERICI SAPIENTIS filia, et sapientiae alumna, ac magistra virtutis, non effoeta, nec sterilis studiorum mater, sed vigens semper, et cum aetate vires suas augens, atqve innumerabiles filiorum literis deditorumcolonias, in ultimas usqve terrarum orbis regiones, summo foecunditatis suae indicio, emittens. Hanc Rex noster in filiae loco habet, et magnam curae partem ei impertit, atqve inter summas Regni molestias ac solicitudines, pro dignitate liberalis doctrinae, proqve salute huius coetus maximopere laborat. Victoriam in filiae numero duxit Epaminondas, qvod non genuisset liberos, nec sibi comparasset praesidium ad stirpem generis propagandam. Publica utilitas admonebat Principem, et amor in populum efficiebat, ut patriae condonaret, qvod familiae deberet, et virtute gloriam aleret, atque orbitatem suam incolumitate civium consolaretur. REX AVGVSTVS animo similis, genere, qvod Saxonum Hercules fundavit, maior, nec reipublicae charitate inferior, atque in tribuendis etiam beneficiis facilior perinde ac largior, illam inter victorias maximam reputat, quae nostrum haud ferociorem reddit victorem quippe qui, reiectis studiorum hostibus, barbariem et ignorantiam, perniciosissimas ingeniorum pestes, arceri iubet, et undiqve prohiberi. At ubi in regnum sapientiae invadunt, et in civitates eruditas vitia infundunt, atqve inculti moris licentia grassantur, abigi praecipit, et literarum armis profligari. Hoc vero Regem Epaminonda cariorē reddit, et miram Regis felicitatem auget, qvod cum patria tot commodis beneficiisque eius nitatur, tum filii etiam praesentis aspectu fruatur, depulso iam orbitatis metu, votorum compos, quia se fruendum omnibus praebet. Nihil dare nobis natura maius, nihil tribuere fortuna melius potuit, nihil concedere praestabilibus naturae parens, nihil largiri exoptatius fortunae arbiter voluit, qvam Regi munimentum imperii, nobis praesidium regii sanguinis, quo nitamur. Verum est, et rerum usus confirmat, filium stirpe sua dignum, aspirare ad maiorum gloriam, et cum Telemacho, qvem Minerva submonuit, patris hortatu praeceptisque formatum, et decus maiorum intueri, et gloriam consectari. Aviam ab Regibus ortam, pro Minerva habet, et matrem regiam coniugem, aviae in his partibus adiutricem, feminas supra feminarum consvetudinem sedulas, et publicae utilitatis providas, atqve animorum sanctimonia ad Deum propius accedentes. Ab harum luce exoritur novus splendor, Saxoniam omnem collustrans, quem nulla temporum vetustas commutabit, nulla vis obruet, nulla caligo, ne in extremis quidem terrarum finibus, obscurabit. Aeternus literarum in Saxonia honor est: Academiae

ingeniis florentes, doctrinae utiles et rectae, instituta optima, et sententiae salutares, qvibus homines ad humanitatem, et vitae morisque disciplinam informantur. Quod beneficium Regis maximum, pro constanti erga Regem fide, ac perpetuo obsequendi studio praedicamus, et literis, in adversa tempestate hic portum habentibus, tranqvillitatem, tutamque stationem, inter tot tamque misera fortunarum Germaniae naufragia, iure gratulamur. Deus immortalis, cuius vi, potestate, numine continentur omnia et reguntur, Deus, inquam, immortalis praesto sit nobis, et patriam custodiat, Regemque coelesti consilio praemuniat, et pace, qvam votis poscimus, confecta, omnium, quae expeti possunt, bonorum copia cumulatum, in vera et stabili felicitatis possessione confirmet. Sarmatia dexteras iterum animosqve coniungat, et mutuis Saxoniam officiis complectatur: illa gladios et tela, hastas et spicula in ligones et falces conflet, aut in barbaros Scythas Thracesqve convertat: ista loci intervallo, non voluntate et studio disiuncta, humanitate et amicitia certat, commerciisque et literis Sarmatas ad societatem invitat. Pro Academia spondeo, fidemque interpono, nullum tempus futurum, quo ab cogitatione officii, quod literarum amor postulat, deseratur atque destituatur. Maxime autem pro Augusta domo vota nuncupat, et oculos in coelum tollit, manusqve supplices tendit ad effectorem omnium, quae supra subterque sunt, rerum, qvem colit et veneratur, quem orat obtestaturque, Leopoldum Aug. caput Imperii servet et custodia Coelitum muniat, vitamqve det longam, et cursum gloriae sempiternum. Fremant hostes, et irruant: machinas, vires, copias adducant, sed frustra se incitabunt, opesque disperdent, et sibi ipsis malum accersent, exitiumque maturabunt. Neque ibi consistat augusta felicitas, et progrediatur longius, nec patri detracta, continuetur in stirpis augustae filiis, in quibus nostra aetas habeat, qvos conferre cum omnium seculorum fortissimis Regibus possit. Haec enim familia, ut magna arbor, ab optimo fertilissimoque semine orta, se extulit ita et effloruit, ut magnitudinis suae modum impleret, et firma staret contra turbines, et tempestates, sive ab invidia, sive ab aemulatione excitatas. Patris industria non obruitur negotiis, nec laboribus retardatur: Imperium retinet iis legibus, quibus accepit: patrimonium suae gentis, providentia maiorum, pactisque sanctissimis constitutum, dissipari non sinit, et ut ambitionem odit, sic prodigalitatem fugit, et suas Germaniaeque opes non profundit temere, sed ratione et consilio constanter defendit. Aquilae se excitant, et explicatis alis, sublimes feruntur, et quo se agitant vehementius, eo vires magis colligunt, et altius volant, solemque ipsum, non perstringentibus aciem radiis, intuentur. Non Iovis, sed Dei praesidio tectae ac tutae Imperatoris Aug. Aquilae, se acrius commovent, et solis fulgorem ferunt, nec debilitantur aspectu tanti sideris, neque aetatis vitium sentiunt, et dignitatem ac robur, in ipsa etiam senectute, conservant, non tam humanis adiutae viribus, quam coelestibus auxiliis fultae. Quarum signa trans Herculis columnas patent, et in altero orbe fixa, ornamentis victricibus redundant, ac maiestatis plena, admirationem Celtiberis movent, et religionem eorum animis iniiciunt, ut amore et veneratione Augusti nominis ducti, quid Aqvilis debeant, admoneantur. Redeant ad officium, et cum Europa, qua meliorum partium est, maxime cum Britonibus et Batavis, qvos licet vere Neptunium genus dicamus, classes et consilia, regnorumque opes et vires, Lusitanos secuti, coniungant, ut libertas gentium rectis examinata ponderibus, aequis tandem potentiae rationibus constituatur. Augustus Caesar Leopoldus, et Rex Augustus II. velut Pylades et Orestes inter se constanter ament, officiisque certent, et amorem humani generis mereantur. Rex Romano-

manorum Iosephus, et Rex Sarmatiae Augustus idem velint, idem nolint, aeqvitate, et iustitia similes, auctoritatem firment, et generosae lenitatis, praesertim erga cives, exemplum a parentibus petant, atque optimis in Republica artibus aeternum, et immortale nomen cunctis gentibus relinqvant. Sit SAXO restitutor felicitatis literarum, sit auctor et princeps consiliorum Regi salutarium, et tanquam Theseus Pirithoo adiungatur. Sit Regum amicus et socius, quorum est vicinus et necessarius, ut propinquitate coniuncti, et amicitia, foederumque societate copulati rursus et confirmati, animos et mentes adhibeant, ad retinendam maiorum disciplinam, et amplificandam literarum dignitatem. Hoc volumus, et conspirantibus omnium sententiis optamus, hoc votis precibusqve contendimus, hoc intimis in sensibus cogitationibusque defixum habemus, et pietatis in eo rationem ducimus, ut stante Republica, haec templa, haec tecta urbis, haec domicilia virtutis et doctrinae, ab exitio et vastitate defendantur, et patria, atque Academia, a contagione malorum expiata, ingeniorum ubertate se extollant semper et erigant, atque omnibus virtutum ornamentis, sine metu amittendi splendoris, augeantur. Haec ducentos iam aetatis annos explevit, et cives ac alumnos, filiosqve suos, constitutis doctrinae praemiis, vero matris amore complexa, Saxonumque beneficentiam reiigiosa qvadam veneratione admirata, Regi et Principi Regio, supplicitet et demisse, Legatis Regiis et Principalibus perofficiose ac enixe, Delegatis libenter et prolixe, reliquis omnibus peramanter, publico pietatis atque observantiae argumento, iussu patrum, gratias multo cumulatissimas ago, partim pro beneficiis, quae in Academiam extant, maximis et plurimis: partim pro honore senatui Academiae habito, et multis luculentisque benevolentiae indiciis comprobato, quod solennia secundi Academiae seculi, feliciter confecti, praesentia cohonestarunt, quae talia atqve tanta sunt, ut de iis coetus noster, certe nostra posteritas, nullis in omni aeternitate seculis conticescat.

ΕΤΟΣ Β.
ΕΤΟΣ ΝΕΟΝ.
ΕΤΟΣ ΤΡΙΣΟΛΒΙΟΝ.
ΤΗΣ ΤΩΝ ΣΑΧΟΝΩΝ.
ΑΚΑΔΗΜΙΑΣ.
ΟΥΙΤΕΜΒΕΡΓΗΣ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0097-3 DFG

ΓΑ ΙΕΡΑ.
ΟΣΙΑ ΠΑΓΑ.
ΑΓΝΑ ΤΙΘΗΝΑ.

Ἄιρετ', ὦ Μῶσαι Φίλαι, βλέπετε
Εἰς Σαξόνων χρυσῶν τόνδε θρόνον,
Περβλημένον ζαθεᾶν ἀρετᾶν ἕρκει
Ἀςεμφέϊ, κρατερῷ καὶ ἀῤῥήκτῳ.
Ἐρόεσσα, καὶ ἠρώνιος γονὰ,
Πολύβυλος Παλλὰς, μυσᾶν κῦδος,
Μελικὸν σύγχαρμα νῦν λιγαίνει.
Πάγκλυτ' ὦ ναξ, δῖον γένος, πάτερ,
Ἄυγυςε Β. Φιτύσας Φίλον παῖδα,
Πλέονεσσ' εὐχῆς ποθητὸν, σέλας μέγα,
Φριδρῖκον Ἄυγυςον, ῥόδον κάπυ,
Εὐκλεᾶς Κυβερνήτην Ἀθήνης.

* * *
** ** **

ΕΝ Βιτεμβέργῃ Φίλος καὶ ἀκήρατος οἶκος,
Εὐλογίην ὅθι πᾶσαν ἑὴν ἐπετείλατο Σωτὴρ,
Ῥήματα πάντα Θεᾶ πολυκυδήεντα Φυλάσσων,
Υἱὸς ἐπυράνιος, Φαεσίμβροτος, ὀλβιόεργος,
Οὗ δόντος, πᾶν ἐωλὸν ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν,
Πάντων γὰρ κρατέει μῶνος, πάντεσσιν ἀνάσσων,
Ἐσμὸν ἑῆς διδαχῆσιν ὑπήκοον ἶφι σαώζει,
Εἰσόκεν ἡλικίην κόσμυ παύσειεν ἀέθλων.
Ἐν μεγάροισι τεοῖς εὐέλπιδα θυμὸν ἔχοντες,
Ἄδομεν ἔργα Θεᾶ, κῦδος, χάειν, ὄνομα σεμνόν,
Τῇδε πόλει τιμὴν δωρήσατο μείζονι μέτρῳ.
Εὐσεβίη παρέκυψεν ἀπ' αἰγλήεντος ὀλύμπυ,
Θεσπεσίοις καὶ τέκνα σοφοῖς, πεφυτευμένα σηκοῖς
Ἡ μετέρας μήτηρ διδαχῆς πίκτυσα τρέφυσα,
Ἔμπεδον αὐδαίνει, καὶ Δαίμονος ὕβριν ἀμύνει.
Πολλὰ ὁρῶ σημεῖα παριςαμένοιο Θεοῖο,
Παντοδαπῆς κομιδῇ θάλλει γυμνάσματα τέχνης.
Εὐφημείδω ἄναξ κόσμυ, πτερύγεσσι καλύπτων
Σαξονίης σκηπτοῦχον, ἄνακτα, καὶ ἀγλαὸν αἷμα,
Τέκνον, ἔρωτα λαῶν, καλλίςης ἔρνεα φύτλης.
Ζήσειεν αἰώνων εἰς ὅσσον ἀπείρεια κύκλα,
Σαρματίης ἔθνη καλῶς πάλιν εἰς ἓν ἀγείρῃ,
Τὰς ἄνδρας δολιὰς κρατερῇφι βίῃφι κρατήσας.

XVII.

Oratio Inauguralis, in Iubilaeo secundo Academiae Vitembergensis,

a

D. PHIL. LVDOV. HANNEKENIO, Theol. Prof.

habita.

Praemissa compellatione Perillustrium Legatorum, Amplissimique Consessus, et totius Auditorii.

SVb rigore observandi Sabbati apud Iudaeos maxima Dei gratia et paterna benignitas manifestabatur, cum septimo quoque anno Deus ferias terrae induceret, nolletque eo quicquam seri aut meti, promissione facta proventus trium annorum, quibus largiter absque labore terrae alerentur. Inde libertas danda servis, qui penuria pressi se aliis vendiderant, et debitoribus credita condonanda erant, ut sub magno Sabbato Ius filiorum, seu electi in peculium Dei populi, levata cartina conspiceretur, et, quae servitus urgere videbatur in feriis Sabbati, illa meram credenda esset spirare filiorum libertatem. Inde Sabbatum mera umbra evincitur fuisse futurae Christianorum libertatis, lege caeremoniali omnino solutorum. Annus Sabbaticus septies repetitus Iubilaeum magnum inferebat, quo et Dei benignitas in omnes terrae incolas, et incolarum in proximos indigentes excurrebat, uti libro Mosis, qui Leviticus inscribitur, copiose enarratur. Nemo erat Israelitarum, qui has laetitias publicas, quietemque concessam divinis laudibus non prosequeretur, et a quarum largitate, nec peregrini arcebantur, clara prolusione in promissam gentium cum Iudaeis unionem, et secuturi utriusque populi ab omni servitute, debitoque legali, aeternam liberationem. Iubilaeus igitur Iudaeorum Sabbaticus Sabbathum aeternum, gaudia coelorum, et nunquam cessaturas laudes Dei, sua figura et cornu arietino, praecinebat.

Quid igitur anni Iubilaei ad Christianos attinent? An reducendae sunt figurae V. T. in statum libertatis Testamenti Novi? An Sabbata iterum solennitate rigorosa feriabuntur, quae Salvator, ut sui corporis umbras, elisit, et Apostolus gentium a conscientiae iugo fidelium voluit alienata, in epistola ad Colossenses, capite secundo? Dicendum quod res est; Iubilaei Sabbatici Iudaeos constringebant, dispensante in illis Deo liberalissimam in egenos et pauperes gratiam, qui onere servitutis, et nexu aeris alieni, obrutos, cupiebat solutos, totumque populum a cultu agrorum et vinearum volebat feriari, ut Dei laudibus et gloriae deditus quietem obtineret, animae et corporis recreationi admodum conducentem. Iubilaei inter Christianos Paparum Romanorum dominatu inducti, ex aemulatu pravo Iudaeorum, et ludorum scenicorum Romanorum, merito sordent piis Christianis, ita manu palpante cultum Dei, non Christianum, sed Antichristianum in illis offendimus; ut taceam, non habere eos Iubilaeos auctorem Deum, nec dispensari bona in illis terrena, quibus pauperum cura agatur, sed mero pecuniae aucupio imaginaria Spiritus bona offerri egenis pariter ac divitibus. Dicam tantum *indulgentias* poenarum in illis concedi, ob peccata luendarum, quae adversae sint merito Christi, et satisfactioni, quae opera et passiones Sanctorum in pessimum finem intorqueant, quae reatui implicent peccatorem a reatu culpae absolutum, mendacem facientes gratiam Dei absolventis peccatorem, qui poenae subiiciendus veniat, gratia remissionis evanescente. His indiciis crassissimis deprehendimus, in Papatu Antichristum regnare. Quid enim Christo magis potest esse contrarium, quam cum denuncianti ipsi peccatorum remissionem in culpa obloquitur Iubilaeus Papisticus, re-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0099-7 DFG

ſtare, poſt remiſſam culpam, poenam temporalem, quae aut hic, aut in purgatorio ſit exantlanda, ut ſatisfiat eam poſtulanti Iuſtitiae divinae. At vero, praeſtita ſatisfactione infinita Filii Dei, pro culpis et poenis omnibus et ſingulis, nil amplius deſiderat praeſtandum Iuſtitia Dei, quae et miſericordiam ipſam, ſi neceſſarium eſſet, urgeret, ut ne, condonata culpa, ſineret remanere temporales poenas luendas. Quam autem inani ſpectro inaedificatur ſatisfactio pro poenis, quae ut merito Chriſti per Spiritum mendacisſimum, ſive Antichriſtianum, abrogatur, ita nil invenit in theſauro Sanctorum, niſi maculas vitae ingentes, et qua iuvare debebat perfectiones miſeros, deficit, nilque habet toto ſuo ſtatu ſanctitatis Iuſtus, quam deprecationem peccatorum. Iam quid poteſt cogitari de ſtatu hominis et confidentia eius abſurdius, quam indulgentias velle plenariae remisſionis poenarum, per quas vana ſit remisſio culpae. Apage indulgentias tales, regno dignas Antichriſtiano, quae et purgatorium excogitaverant, et ne ignis careret, quod ureret, ſaltem plena peccatorum remisſio erat deneganda, quae poenae reſervarentur, aut hic redimendae, aut in purgatorio ſolvendae. Ea Alchymia eſt Pontificum, qua ex fruſtulo plumbi, quod Bullis appendunt, magnam auri masſam noverunt fabricare. Illas nugas et damnabiles impietates Iubilaeus Academiae VVittebergenſis ad orcum, unde venerunt, remittit. Intelligimus enim Iubilaeum Academiae noſtrae correctum, in quem nos ſtupenda gratia Dei per Lutheri miniſterium collocavit, ab ipſis indulgentiis Papaeis abominabilibus reſtituendae veritatis Evangelicae, et unius ſatisfactionis Chriſti rememorandae in memoria Chriſtianorum deletae, aut obſcuratae, occupantis occaſionem. Primi Iubilaei Academici annus ad initium Seculi XV. relatus, adhuc tenebat ſuperſtitionem Romanenſem; ſed arcano Dei conſilio id agebatur, ut paucis annis adcurrentibus, per inſtitutam novam Academiam, Cimmeriae tenebrae Eccleſiae Chriſtianae diſcuterentur, et a multis novis Confeſſoribus Evangelii pura praedicatio per totum terrarum Orbem divulgaretur. Quae adeo Iubilaei noſtri ſint indulgentiae, optimae, deſideratisſimae, omni theſauro mundo pretioſiores, brevi Oratione, citra ornatum Oratorium, Vobis, A. H. explicabo. Date mihi, quae veſtra eſt gratiae et frequentisſimae praeſentiae benignitas, benevolam auſcultationem, ita fiet, ut veſtra alacritate excitatus, vobis in dicendo magis posſim complacere.

Dicturo de optimis Iubilaei noſtri Academici indulgentiis occurrit primo et ratio nominis, et occaſio rei explicanda. Indulgentiae ab indulgendo dicuntur, quod verbum factum credunt ab *inulgere*, inſerto *d*, ut *indoleſcere* pro inoleſcere dicitur, unde eſt indoles; Indulgere autem pro *inurgere*, id eſt, *non urgere* dictum eſt et poſitum, literarum illarum procliva permutatione, *l* pro *r*. Inde ut *urgere* eſt rigoroſi exactoris urgentis penſum, Ita indulgere eſt a rigore illo remittentis. Vt perperam ſentiant, qui indulgentiam cum venia confundunt; cum in indulgentia nulla ſit venia peccati, ſed remisſio rigoris in exigenda poena; uti doctisſimus *Caſaubonus* obſervavit *in Vita Satyr. Perſii*. Papiſtae, qui indulgentias peccatorum poenis applicant, videntur tenere vocis diſcrimen, ſed rei falſae, et Scripturis S. omino adverſae applicant. In Eccleſia priſca fidelium, cum indulgentiae vox et uſus primum audiebatur, hae illae erant, quibus poena poenitentibus publica in rigore graduum remittebatur. Cum enim Eccleſiarum praepoſiti in gradibus conſtitutis poenitentium exigendis admodum rigoroſi aliquando, et cum periculo deſperationis poenitentium, et relapſus in gentiliſmum, exiſterent, benignitas aliorum, et cura animarum paterna correxit ſeveritatem, indulſitque poenae imminutionem, quas indulgentias vocabant. Diſtingvebantur his indulgentiis Catholici a *Montaniſtis, et Catharis ſive Novatianis*, qui lapſis nullam poenitentiam publicam, nec pacem Eccleſiae vellent collatam; *Catholici* autem, dum diſciplinae rigor valebat, unam indulgebant, quae vel ad aliquot annos, vel ad totum vitae tempus diſtendebatur, at ultra vitam non protendebatur, purgatorii figmento, poſt hanc vitam adhuc incognito. Relaxatio igitur poenarum Canonibus Eccleſiae decretarum erant indulgentiae, quas Epiſcopi aut proprio motu, ob ſerium peccatorum dolorem, largiebantur, aut exorati ad gratiam illam interceſſione ad metalla damnatorum Martyrum, perveniebant. Coeterum bona haec diſciplina, eiusque mitigatio aliorſum rapta fuit, cum tene-

tenebrae Antichristianae papatus, eiusque rapina et tyrannis Ecclesiam obruerunt; quibus in oculos B. Lutheri nostri, aliorumque piorum incurrentibus, larga fuit subministrata occasio, damnabilium errorum totum papatum convincendi. Indulgentiae priscae commutatae sunt in nundinationes foedissimas, et figmento purgatorii fascinatae simplicium animae, poenas temporales ea, qua videbatur, aestimatione Torebianis impostoribus, redimebant. *Bonifacius VIII*, A. C. 1300. solennem annum Iubilaeum centesimum instituit, primumque celebravit, quae sunt verba *Onuphrii* in Chronico Pontificum Romanorum. Vnde novitas institutionis patet, et caeterae vanitates Iubilaeorum Ecclesiae Romanae ad auctorem eorum primum revocatae, facile diiudicabuntur. *Platina p. 250.* de eo scribit, mortuum esse in vinculis Pontificem, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis terrorem potius, quam religionem, iniicere conabatur, quique dare Regem, aut auferre, pellere homines, et reducere, pro arbitrio animi conabatur, aurum undique conquisitum, plusquam dici potest, sitiens, tam superbe et contumeliose praefuit clero et populis, ut Principes religiosi et seculares in illo habeant exemplum, quod adversentur. Quod positum ipsi est Epitaphium, in compendio sistit vitam eius Papaeam: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, moritur ut Canis.* Vulpem egit, cum Coelestino persvasit, ut se pontificatu abdicaret; *Leonem*, cum se in eius locum intrusit, et tyrannum in regno egit; Canis rabiosi instar mortuus est, cum Philippi pulchri, Galliarum Regis, insidiis captus, et in vincula coniectus, sibi manus prae rabie rosit, et sic interiit. Vsurpare de eo licet, quod Cardinalis *Bellarminus* de Sixto V. dixit: *Quantum sapio, quantum capio, quantum intelligo, descendit ad inferos.* Nostrae Academiae indulgentiae alios auctores, aliam formam, alium finem obtinent. Sicut enim nil aliud, quam devotissima gratiarum actio, qua obligatos nos Deo, pro singularibus beneficiis, fatemur, quibus et hanc Vrbem, et totam Saxoniam, Europam totam, et universam Ecclesiam Christianam, ante duo secula affecit, qua in Principum Electorum nostrorum, et Magnatum aliorum, pro maximis in studia liberalia, et Academiam nostram, liberaliter impensis sumptibus, et adminiculis studiorum, laudes et merita humillima recordatione assurgimus, indulgentias praedicantes, et olim factas, et nove repetitas, et accessionibus aliis cumulatas, quarum aeterna sanctaque piis omnibus merito est memoria. Consideremus igitur providentiam divinam, quae voluit in hac Vrbe, in qua post aliquot annos docturus erat *Martinus Lutherus*, monachus Augustinianus, officinam fieri eruditorum, quo vita humana vere humana dignoscitur esse, id est, ex *Sallustii* sententia, non transigitur in silentio, ut inter pecora. *Sicut* enim, ut *Socrates* philosophatur, *in bello ferrum auro praestat ad defendendum, ita in vita humana eruditio divitiis*; quia non attendendum est, quid in pretio ponant homines, sed quid in exercitium virtutum humanarum conducat, per quod sapientia rebus gerendis praesit, et expoliendis animis, ad coelestia et supra mundana evehendis, praeficiatur. Certe Fanaticorum somnium et Enthusiasmus sanae rationi et verae religioni tam semper iudicatus est esse adversus, quo literas humaniores et disciplinas negligendas esse dicunt ad coelum iter capessentibus, ut nil magis veram salutis cognitionem, et pietatis praxin impediat, quam insulsa illa ignorantia. Et haec religionis Christianae in tenebras Antichristianas prolapsus fuit, quod insuper habita humaniori literatura, et Philosophiae verae disciplinis repudiatis, Doctores Ecclesiarum solis maiorum traditionibus, et decretis Conciliorum immorarentur, contenti fide Ecclesiae, fidei salutaris nescientissimi, in monasteriis et cucullis otio supino, praetextu devotionis, consenescentes. Illum cum satis aperte cognoscerent Imperator *Maximilianus I.* cum Electoribus Principibusque, VVormatiae Anno 1495 congregatis, religionis Christianae prolapsum, quod literis carerent eius Professores, unanimi consensu receperunt in suis terris et Ecclesiis remedia tanto malo, Academiarum institutione, quaerere et procurare. FRIDERICVS III. Elector Princepsque noster, et, post pia fata, laudatissimus, domum reversus in eam praecipue curam intendit, urgente pium propositum Viro et Consiliario incomparabili, *Martino Pollichio, Mellerstadio Franco*, ut VVittebergae nostrae bonarum artium praerogativa concederetur. Diabolo in suis instrumentis, quae multa admodum, et magna tum possidebat, contra id propositum pii Electoris admodum insur-

gente, praevaluit fortissimus bonarum actionum Spiritus in Fratribus *Friderici*, *Iohanne* et *Ernesto*, inque desideriis et svasionibus *Mellerstadii*, *Staupitii*, *VVimpinae*, et *Monachorum Augustinianorum*, ut ipso hoc die XVIII. Octobris anno, supra millesimum quingentesimo secundo, Academia haec inauguraretur, Rectoratus dignitatem primi Mellerstadio obtinente. Videte indulgentissimam DEI providentiam, qua factum, ut, obstetricante papatu, per Imperatorem, perque Pontificem Romanum, quorum auctoritate Academiam condi necessarium erat, futurae religionis restaurationi via abscondita hactenus, panderetur. Cum enim annus decimus sextus illa Academiae primordia exciperet, indulgentiae vanae Tetzelianae imposturam pariter Pontificis patefecerunt, et quae regno isti confirmando erant excogitatae, in destructionem eius magno impetu irruerunt, *Luthero*, Theologiae Doctore et Professore, conscientiae divinitus actae impulsu, fraudes Spirituales introspiciente et manifestante. Post praedicationem Apostolorum toti terrarum orbi factam, nil illustrius in conversione hominum unquam ab indulgentissima salutis humanae gratia affulsit, quam hanc paucos annos ante in tenebris religionis densissimis fundatam Academiam subito veritatis fulgore percelli, et instar Paulinae illuminationis coelitus instrui, *deserendas esse tenebras, et diam veritatis lucem oculis menteque imbibendam.* Attendamus autem, quanta fuerit Dei providentia circa fundationem et inaugurationem Academiae nostrae, ut clarissima luce deprehendamus, voluisse Deum magnis sumptibus ex liberali manu Electoris FRIDERICI, aliorumque postea, hanc optimarum artium Scholam introductam, ut labor et studium eruditorum excitaretur, nec fugerent operae, sed igne fotae sedulitatis in auditorum animis, velut sole foecundante, varios scientiarum fructus proferrent. Inde *Capella Rudolphina*, superstitioso spinae e corona crucifixi Salvatoris, ut ferebatur, Galliarum Regis dono exstructa, Friderico iubente, in Basilicam mutata omnium Sanctorum fuit, per ignorantiam vatidicam sapientissimi Electoris, Templum hoc Filium DEI habiturum auctorem, in qua omnes sancti sanctificandi, non amplius adorandi essent; Christo adeo dicandum, uti apud Romanos Pantheon olim, quod verus ignoraretur Deus, Diis omnibus dicabatur, ne inter omnes saltem eius cultus negligeretur, qui supra omnes alios esset evehendus, inque opem implorandus. Notant ideo graves ex priscis auctores, Pantheon ab Agricola Iovi ultori dicatum, qui bonos adversus omnem iniuriam malorum tueretur. Aliter haec explicata sunt in superstitionem et idololatriam gentium relabentibus Romanis, et omnes sancti surrogati in cultum unius Dei, per quos hunc vanissimo consilio existimabant admodum iuvari. Ast Fridericus id quidem ex religiosa imbellitate agens, ipso eventu aliud instituit, cum omnes sanctos, huius templi dedicatione, voluit in cultum unius hominum Sospitatoris advocatos, ut discerent adorare eum, qui solus ab Angelis et hominibus, in coelis et in terris, est suppliciter conveniendus, postquam *nomen accepit supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et subterraneorum, omnisq; lingva confiteatur, Dominum esse Iesum Christũ ad gloriam Dei Patris, Phil. II. 10.* quae non patitur creaturae ullius in adoratione religiosa communicationem. Quae igitur est denominatio templi huius ab omnibus sanctis, eventu iuxta providentiam et indulgentiam admirandam docente, nil aliud sonat, quam omnium sanctorum, in vero cultu Dei unanimem supplicationem, quam reductione Evangelicae doctrinae, ut omnino necessariam nostrae saluti, ostendit Megalander *Lutherus.* Et iam computemus indulgentiam summam DEI nostri, qua praetervidendo inusitatã hactenus in vulgo idolomaniam, noluit ulterius simplices in damnabili errore desudare, sed potenti gratia in libertatem veritatis Apostolicae vindicatos eripuit tenebris, et saluti fere neglectae restituit. In hunc finem valuerunt et restituta literarum studia, et fraudum indulgentiosarum detectio, et Iustitiae fidei informatio, et admiranda Confessionis Augustanae in totum terrarum orbem divulgatio. Consideremus porro subminiculantem divinae voluntati Electorum, Principum, et Evergetarum aliorum liberalitatem, qua effectum, ut et Professoribus larga salaria, et egenis non solum studiosis, sed et divitibus Nobilibus, ad alacritatem accendendam maiorem, stipendia decernerentur annua, quibus confectis, postea cum magno emolumento Ecclesiae et Reipublicae inservirent.

rent. Hinc trecenti, et plures ſtipendiis gaudent annuis, triginta, quadraginta, quinquaginta, et centum florenorum. Vltra trecentos communi menſa aluntur, ſeu cives ſint, ſeu exteri, eaque per indulgentiam Serenisſimorum Electorum. Accesſit nuper admodum menſa alia ſumptibus Excellentisſimi Domini *a VVolfframsdorff*, numero accubantium duodenario definita; ut ſtipendia privato pietatis incitamento dicata plurima taceamus, quae alibi recenſentur. Conſuleremus privilegia et immunitates a Serenisſimis conceſſas, quae in appendice Latina Concionis in Iubilaeo Academiae VVittebergenſis, a B. D. Ioanne Meiſnero habitae recenſentur, quae cum nobiliſſimarum Academiarum exterarum dignitatibus, et privilegiis, dotationibus, omnino comparantur, quales ſunt *Bononienſis*, *Senenſis*, *Perusina*, *Pariſienſis*, *Papienſis* et *Lipſienſis*, ut habent literae Maximiliani I. loco allegato, alio tempore accuratius enarranda et explicanda.

Hae certae ſunt SS. Trinitatis in Iubilaeo Academico praedicandae devotisſimis animis divinae gratiae in nos indulgentiae, hae Serenisſimorum Principum ac Dominorum noſtrorum liberalitates, hae Optimorum Patronorum in noſtra ſtudia erogationes, quibus Academia haec inſtituta, quibus ornata, quibus conſecrata, adverſus varia Diaboli, et miniſtrorum eius machinationes, fortisſima DEI manu, integro gemino ſeculo conſervata eſt, et, ringentibus omnibus hoſtibus, usque in Seculorum fines conſervabitur.

Praecipuum mei in hanc cathedram aſcenſus negotium eſt provectio Candidatorum quorundam ad ſummos, quos posſidet Academia, in Theologia honores. Res ardua, et ſuperat meas vires; ergo impetranda poteſtas eſt ab posſidente eam.

Ite igitur ad genua Magnifici Domini Procancellarii Domini Candidati mei,

Ego pro vobis verba faciam, et conabor impetrare, quod deſideratis:

Magnifice Domine Procancellarie, Vir Summe Reverende,

DN. D. CASPARE LOESCHERE,

Siſto Tuae Magnificae Dignitati devote procumbentes ſeptem Theologiae Licentiatos, qui eruditione excellenti, et ſanctis inſuper muneribus famam applauſumque dudum ſunt meriti, rogoque velis mecum, et cum Dominis Candidatis meis indulgenter agere, mihique elargiri pro auctoritate Regia et Electorali, qua polles, facultatem creandi hos ſeptem Candidatos in Theol. Doctores. Addicimus Tuae Magnificentiae nos nexu, precibusque noſtris et officiis hanc Tuam gratiam demereri ſtudebimus.

Redeunti in locum ſuum Candidato miniſter Academiae iubetur iuramentum praelegere, quo praeſtito, Promotor ita infit:

Quod igitur inſtitutum DEVS aeternus, Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, in SPIRITV S. clementer adiuvet et fortunet; Ego, PHIL. LVDOV. HANNEKENIVS, SS. Theol. Doctor et Profeſſor, voce noſtrae Eccleſiae, et Collegii Theologici, ſeptem Theol. Licentiatos vos, ac pietate, doctrinae atque virtute ornatisſimos Viros, eo, quo diſputationes veſtrae habitae ſunt, ordine, absque ullo eruditionis et dignitatis praeiudicio, nominandos,

Te, DN. GOTTLIEB ECSTEINIVM, Profeſſorem Oriental. Lingvar. in Gymnaſio Stetinenſi Ordinarium, et Theol. extraord. celeberrimum, atque Archidiaconum Marianum vigilantisſimum, abſentem:

Te, DN. HENRICVM TIETZMANNVM, Eccleſ. ad Divi Gumperti aedem, apud Onolsbacenſes, in Franconia, Paſtorem, et Conſiſtorii Aſſeſſorem graviſsimum, abſentem:

Te, DN. SIGISMVNDVM RICHTERVM, Eccleſ. Radebergenſis in Miſnia Paſtorem, et Ephoriae Dresdenſis Adiunctum meritisſimum, abſentem:

Te, DN. IO. ANDREAM SCHROENIVM, Eccleſ. Heldrunenſis Paſtorem, et vicinorum Inſpectorem fideliſsimum, abſentem:

Te, DN. ANDREAM KVNADVM, Eccleſ. Serveſtanae ad SS. Trinitatis aedem Paſtorem, et in Gymn. Theol. et Philoſoph. Profeſſorem celeberrimum, praeſentem:

Te, DN. FLORIANVM KLEPPERBEIN, Eccleſ. Ieveranae Paſtorem, Provinciae totius Superintendentem, et Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſorem optime meritum, abſentem:

Te, DN. CHRISTOPHORVM BARFKNECHT, Regiae Maieſtatis in Borusſia Eccleſiaſtem aulicum, Paſtorem Eccleſiae Belgardienſis, et vicinarum Praepoſitum, Scholaeque Inſpectorem vigilantisſimum, abſentem:

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0103-1 DFG

Absentes omnes, tanquam cum praesente praesentes, in Theologiae Doctores creo, creatos renuncio, et ab omnibus pro talibus agnoscendos et habendos esse publice proclamo, in nomine DEI PATRIS, FILII, et SPIRITVS S. Et quemadmodum clementissimus Pater coelestis renunciationem Filii sui, Summi Ecclesiae Doctoris, voce sua de coelo sonante: hic est Filius meus dilectus, ἐν ᾧ εὐδόκησα, visibiliterque Spiritu S. in specie columbae super ipsum descendente, praeclare ad Iordanem ornavit, commendavit et confirmavit: ita ardentibus gemitibus aeternum DEVM oro, ut publicum hoc testimonium vobis tributum, et renunciationem factam, invisibilibus donis, et Spiritus Sancti virtute, veluti coelestibus insignibus, confirmet et consignet, nosque omnes faciat vasa gratiae sanctificata, in honorem suum, accommoda usibus Ecclesiae, reique Christianae publicae, et ad omne opus bonum, nobis ipsis, et aliis salutare; Amen!

Ritus piae vetustatis.

1. In Cathedram vocatur novus Doctor.
2. Liber aperitur Scripturarum.
3. Pileus imponitur.
4. Annulus datur.
5. Osculo honoratur.
6. Gratulatione, et voto pio actus iste finitur.
7. Doctor resolvit aliquam quaestionem. Interim munera circumferuntur.
8. Et gratiae aguntur DEO, Principi, Legatis, Professoribus, Hospitibus.

Inde ad aram proceditur, et hymnus cantatur: Te DEVM laudamus.

XVIII.

D. CASPARI LOESCHERI

responsum, quo, pro auctoritate Decani ac Procancellarii, potestatem Doctores Theologos creandi permittit.

Vir Summe Reverende, Magnifice, Amplissimeque,

DOMINE

PHILIPPE LVDOVICE HANNEKENII,

Doctor et Professor Theologiae in Academia hac famigeratissime, Consistorii Ecclesiastici Regii et Electoralis Assessor Splendidissime,

solennissimae promotionis Doctoralis Promotor

ordine et legitime constitute,

Patrone, Collega, et in Christo Frater coniunctissime.

QVanta cum animi voluptate differentem te hactenus audiverim, verbis vix edisserere possum. Impense placuit oratio tam mascula, tam profunda, tam erudita, tam solida, qua, ingeniosa admodum comparatione, Iudaeorum, Pontificiorum, et hodierna nostra Iubilaea, eruditissime inter se collata, animose exposuisti, singulorumque indulgentias manifestasti, istorum reiiciendo, et nostras approbando. Verba tua, tempori huic maxime consona, visa mihi sunt poma aurea in patinis argenteis splendidissime nobis proposita, meritoque ab universo hoc Auditorio maximi aestimata. Debebam equidem, imo volebam, et poteram, eadem de re, ex mea quoque supellectile specilegium aliquod subnectere. Debebam, quoniam et rei ipsius dignitas, et tacita tanti Auditorii expectatio, et mei muneris, quo fungor hodie, ratio id postulat. Volebam, quia et tibi, et Candidatis tuis, et universo huic Auditorio id me debere, ultro confiteor. Poteram quoque, quoniam in tam amplissimo campo differendi mate-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0104-7 DFG

materia cuiquam vix deesse poterit. Verum, cum et selectissimae eruditioni Tuae, et Auditorum patientiae iniuriam facere videri queam, si aut elegantissimae purpurae tuae lacinias quasdam minus comtas assuere, aut Auditores omnium ordinum honoratissimos importuna prolixitate diutius morari vellem, abstineo ab omni additione, publiceque fateor, te eo dixisse modo, cui a me addi nihil possit, nihilque debeat. Accingo me potius ad illa, quae more magis consveto, quam necessario, me rogasti. Intueor enim Candidatos tuos, septem numero, amicissima mente, eosque dignitate ea, quam expetunt, dignissimos esse aestimo. Ipse adfui eorum examinibus, Orationibus, Disputationibus, et Concionibus, vereque deprehendi, ingenti eos eruditione quam maxime pollere, illisque vivendi moribus ornatos esse, qui Theologiae Doctores Deo et hominibus gratos reddunt. Quare ultro et sponte mea iis faveo, eorumque desideriis satisfacio. Quod proinde felix faustum atque fortunatum sit, ego, CASPAR LOESCHERVS, SS. Theologiae Doctor legitime promotus, eiusdemque Prof. Publ. ordin. etc. et in hac Panegyri Procancellarius et Decanus solenni consensu constitutus, autoritate, qua nunc polleo, Imperatoria, Regia et Electorali, Tibi, Promotor Summe Reverende, potestatem volens ac lubens concedo, ut septem Candidatis nostris, Viris plurimum Reverendis, Amplissimis atque Excellentissimis, singulis SS. Theol. Licentiatis, deque Ecclesiis et scholis optime meritis,

DN. GOTTLIEB. ECSTEINIO, Professori Orientalium Lingvarum in Gymnasio Stetinensi ordinario, et Theol. extraordinario celeberrimo, ut et Archidiacono Mariano ibidem vigilantissimo;

DN. HEINRICO TIETZMANNO, apud Onolsbacenses ad Gumperti aedem, Pastori, et Consistorii Assessori gravissimo;

DN. SIGISMVNDO RICHTERO, Ecclesiae Radebergensis in Misnia Pastori Primario, et Ephoriae Dresdensis Adiuncto meritissimo;

DN. IO. ANDREAE SCHROENIO, Ecclesiae Heldrungensis Pastori, et vicinarum Superintendenti fidelissimo;

DN. ANDREAE KVNADO, Ecclesiae Servestanae ad SS. Trinitatis Pastori, nec non in Gymnasio Theol. et Philosoph. Professori celeberrimo;

DN. FLORIANO KLEPPERBEIN, Ieveranae Ecclesiae Pastori, totius Provinciae Superintendenti, ut et Consistorii Assessori Splendidissimo; et tandem

DN. CHRISTOPHORO BARFFKNECHT, Ecclesiastae Regio Svecico Aulico, Pastori Belgardiensis, et vicinarum Praeposito, Scholaeque Inspectori vigilantissimo;

solennissimo more SS. Theol. Doctorum honores, dignitates, privilegia, immunitates, et iura plenissimo modio conferas, eosque publica Ecclesiae voce Doctores Theologiae proclames, proclamatos instruas, et instructos pro talibus agnoscendos autoritate publica censeas, in nomine Trinitatis, Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, Dei Triunius, benedicti nunc et in aeterna secula.

Surgite igitur, Candidati Excellentissimi, abite in Cathedram superiorem, et ibidem ampla spolia, quibus dignissimi estis, expectate, et inde ad nos, et domum, felices reportate. DEVS sit vobiscum!

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0105-3 DFG

XIX.

D. GODOFREDI SVEVI,

Candidatis iuris nomen atque insignia Doctoris rite impertientis, Oratio.

Potentissimi ac Serenissimi Poloniarum Regis, et Electoris Saxoniae, eiusdemque Principis Iuventutis Regii, Rectoris huius Academiae Magnificentissimi, Domini Legati Splendidissimi, Magnifice Academiae Prorector, Hospites omnium Ordinum honoratissimi, Proceres Academiae, ceterique literarum aestimatores, atque Vniversitatis Cives, eo, quo par est, honoris cultu colendi.

QVod omnes illos decet, qui solenni eiusmodi panegyri initium faciunt, ut sermoni cuidam, isti rei apto, operam dent, mori huic me quoque nunc gerere morem oportet, ut universis ac singulis probem promtum, ac non nisi cum vita ponendum, obsequium. Ne autem excurrerem per ambages, aut hinc inde varia ambiguaque consectarer, selegi, credo, argumentum nec ignobile, nec a munere meo alienum, ex quo nempe civilium sanctionum robur illustrius redditur, atque simul adversus osores suos vindicatur. Quid enim, quaeso, iurisprudentiam aestimanti convenientius, quam eius originem, et unde vim expectet suam, cogitare. Quid contemplatione dignius, quam causas, quibus constat, intime investigare? Quid denique iucundius, quam perversas opiniones eorum, qui prima, media atque ultima non nisi fortuitis eventibus tribuunt, nec minus sententiarum dictiones eo referunt, destruxisse ac sustulisse e medio? Conabor ostendere hoc in asserendis *Iuris Divini universalis positivi* sancitis circa *homicidii poenam*, et *interdictionem coniugiorum aeque immutabilem* occupatis. Non gravabimini igitur per exiguum admodum temporis spatium, hac de re, pro ingenii tenuitate, me benevole audire, et, cum verborum ornatu placere non potero, brevitate certe, cui haec ipsa praesens solennitas omnino accommodata esse debet, non displicebo.

Inest quidem omnibus doctrinae ac sapientiae partibus quaedam sua sanctitas ac veneratio, quae se spectandam si praeberet coram, procul dubio tantum sui desiderium in omnium animis excitaret, ut, quibuslibet aliis curis neglectis, in eiusdem amplexus omnes quam facillime raperentur. At vero dum omnia non capiunt omnes, vel in una nonnihil praestitisse haud temere gloriosum ducitur, ex omnibus autem istis elegisse Iurisprudentiae studium, minime vanum fuerit prudentiae indicium atque argumentum. Quid enim in vita civili divinarum atque humanarum rerum notitiam, iusti iniustique scientiam, superabit? Quod, quaeso, magis laudabile propositum ducitur, quam constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi? Quis tandem felicior laboris impensi eventus exspectabitur ab eo, quem spes pulcherrima fovet, toto legitimo opere perfecto, posse etiam Remp. in partibus sibi credendis gubernari. Quae omnia cultoribus Iurisprudentiae non minus benigne promisit, quam sancte servavit, Imperator *Iustinianus*, Iuris religiosissimus, suique similes successores reliquit. Enimvero stupeo, Auditores, si cogito eos, qui in diversum abeunt, quam omnia hic fortuita iactent, nobilissimaeque arti, a praeceptis *Naturae* et *Gentium* Iuris nunquam in totum recedenti, in eo maxime detrahant, dum in moralibus aeque ac civilibus rebus non aliud, quam mera contingentia, quae a superioris arbitrio unice deriventur, agnoscunt, inculcant, crepant, strepunt, profitentur, imo Principi, si mortis supplicium homicidis remiserit, aut nubendi copiam in gradibus a DEO prohibitis indulserit, nescio quam clementiae aus gratiae laudem, qua sui muneris auctori

ctori DEO evadat ſimillimus, auſu ſi non nefario, certe admodum praecipiti aſſerant atque confiteantur. Fuerunt quippe et olim hodieque inventi, qui a ſolo eventu negotia modo a me commemorata ſuſpenderunt, rati in poteſtate hominis eſſe, quam velit, imaginem rei bonae iuſtaeve, rei malae quoque ac iniquae induere pariter ac producere, ſecus ac in Mathematicis reperitur ſcientiis, ubi qui triangulo quatuor latera asſignare vellet, nil aliud, quam ſe ridendi copiam locupletisſimam ſuppeditaret. Verum qui ita progrediuntur, parum expendunt quod hac ratione omnia non in incerto tantum futura ſint, ſed quas, quod nunc iuſtum reputatur, illico iniquum habebitur, ſic ubi voluntas hominum circa idem occupata negotium fuerit immutata, adeoque caedes, furta, adulteria virtutis nomen oppido facile auferent. DEVS prohibeat a me hanc impiam mentemque et praefecto prohibet: Longe enim alius mihi animus eſt, qui credo iſtis pulcherrimo aſſertoribus, ſi diis placet, obviam eundum eſſe ſtrenue atque demonſtrandum, reperiri utique actuum humanorum connexionem cum ſuis principiis infallibilibus ac ex cuiusvis arbitrio mutari neſciis, hacque ratione futurum reor, ab intellectu praepoſtera imaginatione haud impedito ſufficienter deprehenſum iri, actiones noſtras vitioſas aut virtuoſas efficere nequaquam in facultate noſtra ſitum fore, quin potius tales futuras neceſſario, qualis eſt rectae rationis cum iſtis coniunctio, quam ſi rite praeſtamus, virtuoſae erunt, nec ulla ratione aliam eamque contrariam faciem aut indolem ſortiri poterunt, univerſa furta eiusdemque generis facinora alia manebunt turpia, licet, an talia ſint, nemo hominum maxime nunc poſt lapſum ſibi ſolus relictus, cogitaverit unquam, aut ſanctio literis ea de re ſcripta extiterit nulla, ex quo conſequetur parem hic adeſſe certitudinem tamdiu valituram, quamdiu bis duo erunt quatuor, aut triangulus non niſi tria latera agnoſcet atque retinebit. Verum enimvero audire hic mihi videor abloquentes de Lege naturali haec tandem concedi, minime Gentium autem ad *Ius Divinum Poſitivum Vniverſale* trahi debere, nec reperiri in *hoc* talis immutabilis conſtantiae tabulas, Deumque ipſum non ſaltem *Cainum* fratricidam peſſimum liberaſſe ab ultimo ſupplicio, imo *Abrahamo* ceu omnium vera fide praeditorum parenti, ſororem conſangvineam ut duceret, indulſiſſe, ſed etiam *Davidem* Regem et Vicarum DEI eadem poteſtate in nuptiis fratris cum Sorore vel huius ipſius ſuae filiae iudicio uti potuiſſe, poenam mortis autem remiſiſſe, et ſimul rebelli *Abſolomo*, et militiae praefecto *Ioabo* duplici caede turpiter functo, nec non inter prima Academiae Lipſienſis *privilegia Papalia* referri, ut deprehenſus in homicidio ſtudioſus ad Epiſcopum ſaltem mittatur apud Eundem carcerem perpetuum ſubiturus. Nec ipſe diffiteor in Collegiis Noſtris mortis ſupplicium non ſemper iniunctum committentibus caedem, certe quam ſaepisſime alibi impoſitum a Nobis fuiſſe, memet ipſo Acta referente et ſententiam concipiente in aliam leviorem poenam commutatum, quarum *alterum* initio adhuc huius Anni Academiae Secularis verſus Sveciae Regis in Germania Provinciam, *alterum* antehac in Studioſo ex ditione Hasſiae nato contigiſſe, ut longe plura ſilentio praetereamus, plurimi mecum adhuc recordabuntur, ut vel nosmet ipſi quandam inde gratiae clementiaeque aut ad minimum miſericordiae laudem quaeſiviſſe aucuparique voluiſſe videamur. Sed certiora fortioraque afferantur neceſſe eſt, dum eis, quae hactenus adducta ſunt, ſententia noſtra nequaquam ruit aut ſubvertitur. Namque innocentes homines a DEO non puniri apud omnes in confeſſo fore, aque nemine negatum iri confidimus; iam vero inter alia gentes punitas ob inita iniqua matrimoniorum foedera quando legimus, nec Naturalem ſanctionem haec in parte offendimus, quam, quaeſo, aliam ac *Iuris divini Poſitivi Vniverſalis* eandem eſſe affirmabis? perinde ac ante diluvium uſitata ſacrificandi ratio non poteſt niſi, cui haec ipſa grata omnino fuit, auctorem habuiſſe DEVM, quandoquidem huic id ſuo ſine mandato minime placere potuiſſet, licet eiusdem veſtigium ante iſta tempora, uti quidem homicidii poena capitalis ceſſante diluvio mox ſancita proſtat verbis conſignatum nullibi reperiatur. Aſt nemo inde DEO in utraque haec ad ſecuritatem honeſtatemque publicam comparata Lege voluntaria diſpenſandi facultatem iure negabit, quae ipſa alioquin in praecepto Naturali a DEO prorſus aliena eſſe invenitur. Poſtquam itaque Vniverſus orbis Iuri

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0107-4 DFG

Voluntario isti se subiectum merito agnoscit et profitetur, gratiam autem in eo impertiendi facinorosis nemini copiam factam unquam esse adparet, nullus quoque Regum aut Principum sibi eandem arrogare iuste poterit. Porro nec omnia Davidis Regis facta in exemplum trahenda esse ante quis tuto asseruerit, quam idem Eiusdem adulterium et homicidium in Vriam commissum imitandum fore deduxerit, atque atque liquido ostenderit, quanquam supplicium Ioabo non tam remiserit, quam in aliud idque magis opportunum Reip. tempus distulerit, et sapientissimo filio electo Regni Successori Salomoni commendaverit. Quid praeterea de vicina nobis Academia recte rem aestimanti sentiendum sit, ipsemet *Vrbanus* Pontifex, referente Canonum Collectore *Gratiano*, (*can. 6. caus. 25. qu. 1.*) ingenue aperit atque simul os obstruit recentioribus aulae Romanae adulatoribus, quando ait: *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas condere Leges, quod et nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum vero summopere est, quia inde novas Leges condere potest, unde Evangelistae aliquid et Prophetae nequaquam dixerunt. Vbi vero aperte Dominus, vel eius Apostoli et eos sequentes Sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare, sed potius, quod praedicatum est, usque ad animam et sangvinem confirmare debet; Si enim, quod docuere Apostoli et Prophetae, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optime custodierunt* hactenus *Vrbanus* Papa, ut hinc nemo mirari debeat, in Comitiis Provincialibus Saxonicis Anni LVIItimi superioris Seculi tanquam Sacro Codici adversum gravibus hisce et mentem Vrbani omnino exprimentibus verbis als ein vermeintes Päbstisches und GOttes Wort zuwieder lauffendes privilegium fuisse penitus abolitum iterum atque abrogatum. Libros denique, in quibus Collegiorum Nostrorum Responsa memoriae causa continentur, nunquam vidisse necesse est, qui aliter de Nobis sentire vellet, experiendo etenim facile deprehendet, Nos divinae Legis atque conscientiae, quae ex ista utique instrui formarique debebat, fuisse observantissimos riteque interpretandi facultatem minime nobis auferendam sine ulla relaxandi audacia tunc exercuisse nec quisquam verbis istis bey welcher Bewantniß denn/ da ohne einige gegebene Ursache und Worte wechselung / der Anfall und die Thätligkeit unstreitig von dem Entleibten geschehen / und kein vorsetzlicher gefliessener Todtschlag verhanden/ also die in Göttlichen und Weltlichen Rechten geordnete Todes-Straffe / indem diese einig und allein in homicidio doloso statt findet / zugleich hinweg fället/ illo tempore a nobis usurpatis sine manifesto sui pudore atque dedecore alium sensum affingere volebit. Taceo, quod aliquoties, et quidem etiam tum, quando certas Constitutiones et Leges humanas adversus duello congredientes graviter latas non considerari debere iussu sumus, nihilominus mortis poenam eodem conscientiae ductu iuxta Legis divinae tenorem, secuti in hac vestigia *Carpzovii* atque *Ziegleri* Celeberrimorum Ordinis Nostri Antecessorum, indixerimus, neque attenderimus, si forte inspectio cadaveris neglecta, aut huic peractae Scabini a Iudice ablegati non interfuerint, cura haec mera inventa ab humano ingenio, quanquam haud male excogitata audiant, nec cuivis facto apte semper tribui queant. Nihil dicam de Nostra constantia in Iure ad factum circa interdictos *Lege divina Vniversali* gradus accommodando, qua in re nunquam persvaderi potuimus, ut casum non expressum sub expresso prorsus simili comprehendi debere negaremus, et eo, quod *uxoris sororis filia* nullibi totidem verbis, uti quidem *patrui uxor* duci prohibita legatur, istud matrimonium permissum crederemus; quod ipsum vix ulli ignotum erit, et praeterea typis expressum omnium oculis propositum esse constat. Quemadmodum vero Deum aliter velle posse, quam Naturalibus Legibus ipse iusserat, infra summam sui perfectionem, atque ob id vel cogitare saltem grande nefas fuerit, ita quoque conditae Leges Vniversales ex mero DEI arbitrio, quod quidem nunquam sine gravi causa utcunque hominibus minime obvia, a quoquam concipi potest, pari necessitate ab omni Imperatore, Rege, Principe eorundemque subditis observari protinus ac omnino debent eaque intuitu morales habebuntur, neque in sententiarum dictionibus oblata eiusmodi facti specie ulla ratione seponendae erunt. Venerabimur, Venerabimur, igitur, Auditores Morales istas atque divinas sanctiones con-

connexionibus suis minime carentes, aut destitutas, atque econtrario perversam istam, perniciosissimamque de memorata contingentia opinionem toto pectore oreque exsecrabimur, detestabimur, nec patiemur, ut intempestivae misericordiae, gratiae ac clementiae neque hic, neque in tremendo extremo universali Iudicio rei vel confessi vel convicti unquam fiamus aut condemnemur. Quod reliquum est, converto me nunc ad Ordinis Nostri Decanum spectatissimum, Virum Magnificum atque Excellentissimum Dn. IO. HENRIC. BERGERVM, Hala Saxonem, Iur. Vtr. Doctorem rite promotum, in hac Academia ICtum et Professorem Codicis celeberrimum, Potentissimi ac Serenissimi Poloniarum Regis et Electoris Sax. in supremo Provocationum Collegio Consiliarium splendidissimum, Curiae Elect. Scabinatus et Facultatis Iuridicae nec non Consistorii Ecclesiastici Vitebergensis, ut et Ducalis Iudicii in Inferioris Lusatiae Marchionatu Assessorem gravissimum, in hac *Iubilaei Academici* solennitate *Procancellarium* maxime illustrem, Dominum Patronum atque Collegam aestimatissimum, eundemque vehementer ac maximopere rogo, ut non tantum mentem suam de eo, quod hactenus differui, toti huic splendidissimo Auditorio libere aperire, sed postea quoque facultatem creandi Doctores Vtr. Iur. mihi benigne concedere largirique velit. Cum autem nemini dubium sit, Te, Magnifice Domine Procancellarie, nisi modestia et humanitas Tua, quae maxima est, talia deprecaretur, potiori praetextu, quam *Bonifacium VIIIvum* (*c. 1. de Constitut. in 6to*) omnia Iura in scrinio pectoris tui haberi, gloriari posse, ita *alterum* et quod prius a Te petii, facile praestabis, *alterum* quoque non tantum ad pedes tuos Te venerando Domini Candidati procumbentes, anxie desiderant, sed etiam maxima Tui gloria per integrum Seculum hoc, quod Nostra nunc feliciter inchoavit Academia, Tibi soli propria in eo versabitur, quod *primus* nempe fueris, qui auctoritate summae, qua in praesens fungeris, potestatis, in illustri hoc consessu Doctores Iuris in omnia Secula et ubivis locorum pro talibus habendos agnoscendosque renunciandi atque privilegiis insignibusque Doctoralibus perantiquo ritu ornandi mihi dederis copiam, amplissimam, partem laudis gloriaeque huius mihi eo ipso simul tribues istiusque fructum non minus putabo esse meum, aestimabo quippe prout par est, perpetuo cum Dominis Doctorandis non saltem DEI hoc beneficium maximum, sed etiam hanc Tuam insignem benignitatem, sancteque spondeo cum iisdem, nos sedulo ac diligenter daturos esse operam, ne ingens beneficium hoc Tuum Te in ingratos collocasse ullo unquam tempore iure conqueri valeat.

XX.

IO. HENR. BERGERI, ICti,

Decani ac Procancellarii, responsio, qua renunciandi Doctores Iuris facultatem concedit.

GAudeo, vehementerque laetor, hodierno die eam mihi felicitatem tribui, ut muneris partes sustineam, quas et temporis exigit ratio, et publicum avitumque institutum solemnius imponit. Neque vero caussam reperio, quam ob rem de argumento magnopere laborem, quod gravitate, quanta fieri potest maxima, et copiose eruditeque excussisti, ut nihil propemodum alienae industriae disceptationique reliquisse videaris. Vere existimas, Excellentissime Vir, iuris divini, eiusdemque generalis, tantam esse auctoritatem, ut nullo unquam, quod homines statuant, placito vis eius infringi possit. Etenim cum nulla lex nisi ab eo, a quo lata est, mutari possit, tum tanta divinae legis, qua omnibus omnium scitis hominum immensis antecellit partibus, est praestantia, ut, nisi a praepotente legislatore, necessitatem recipiendae mutationis non expectet. Merito mirari subeat, quosdam nostratium, ac bene multos eo prolapsos esse temeritatis, ut putarint, in capite homicidii locum laxamento, quod Princeps

ceps dare consuevit, pariter ac praescriptioni patere, et, neglecta sanctionis Carolinae forma, quae cadaver humanum iubet inspici, poenam ordinariam expeti non posse, in gradibus denique prohibitis matrimonium impediri illud quidem, contractum vero iam perfectumque nullo modo dissolvi. Equidem non ignoro, esse, qui legem divinam, qua lata est poena homicidii, ad gentis Ebraeae rempublicam adstringant: vereor tamen, ne minus dicant, quam senserit Deus, et legis vim finibus nimis arctis circumscribant. Moveor enim et cohorresco penitus, cum audio vocem divinam, eamque Noacho, non Ebraeorum solum, sed etiam gentium omnium parenti, editam: *quisquis profuderit sangvinem hominis, per hominem sangvis eius profundetur: quoniam hominem ad effigiem suam fecit Deus.* De homine praecipit Numen, qui solus non est Ebraeus. Ratio quoque, quae legi adiuncta est, tam late patet, ut ad quemvis hominem referatur. Facessant illi, qui putant, ea lege non praeceptum contineri, sed comminationem, qua Deus poenam per homines et varia calamitatum genera a nefariis hominibus repetendam declararit: quum saepe illi in hac vita ultionem effugiant, ita ut per alios non occidantur. Obscurum est nemini, verbis, quae praedixi, ius, non merum factum indicari. Parum abest, quin in Anabaptistarum Socinianorumque errores incidant, qui hominem, cuius ministerium ad sumendum supplicium Deus exposcit, privatum quemlibet interpretantur. Pergit Deus: *ne quod vitae redimendae pretium ab eo, qui sangvine manum imbuerit, accipiatur, quum terra, nisi profuso illius sangvine, non expietur.* Vt severitatis faciat indicium, qua confirmetur constantia propositi, et poenae semel constitutae venia omnibus adimatur. Exempla, quibus legis acerbitatem nonnulli mitigant, parum officiunt, quando Davides Rex Ioabo et filio, homicidii reis, parcepat: Ebraei quoque ob proselyti caedem, aliusve profani hominis, ab illorum aliquo factam, mortis poenam non irrogabant. Neqve enim exemplis, sed legibus standum iudicandumque est, praesertim cum exempla huius generis sacris literis relata quidem, sed nusquam comprobata divinitus esse, legamus. Evangelii gratia, quae affertur, spiritualis est, nec poenam civilem, eamque certo ac stabili iure nixam, subvertit. Testatus est ipse Servator, a se nihil legis tolli. Idcirco lex, quae poenam capitis in praesenti argumento sancit, in novo quoque foedere persistit, iterata a Servatore, qui gladio, videlicet magistratus, eos iussit percuti, qui gladium privata ceperint temeritate. Iugum illud legum, quod, auctore Deo, Moses imposuit, Servator excussit, earum, inquam, quae Ebraeae gentis sunt propriae, non quae universum genus hominum complectuntur. Poenitentiae, si qua in reo animadvertatur, vim remittendae poenae tribuat nemo, de cuius veritate hominibus vix constare possit. Nec quisquam non impune sua facta feret, si ea quoquo modo sufficiat profiteri. Poenitentia reus recipitur in gratiam spiritualem, et ad vitam servatur aeternam: ea autem aboleri quoque poenam civilem, nusquam admonemur. Nihil attinet, exempla impunitatis, quae ex veteri ecclesia repetuntur, copiose refelli. Res loquitur, iudicia forensia Christianis ultimorum temporum defuisse, eosque solicite cavisse, ne rei homicidii, in hominum non Christianorum adducti iudicium, discrimen adeant salutis. Ius divinum, qua poenam capitis in homicidas statuit, secuti sunt Graeci, ab iisque Romani, et exemplo Romanorum pleraeque gentes, ut adeo iuris insiti atque ingenerati loco ubique habeatur. Stat sententia: a Principe, quisquis fuerit, homicidae veniam dandam esse nullam. Similiter praescriptioni, quae mera civili ratione se tuetur, adversus ius divinum hoc in capite nulla vis esse potest, neque ulla sanctionis Carolinae, quae modum in investigando corpore delicti, quod vocant, definit, auctoritas, si quidem aliunde de eodem certi esse possimus. Non aliam ICti hodierni, meliora edocti, sententiam pronunciando tenent. De gradibus propinquitatis, qui in ineundo connubio vetantur, Lex Dei, generatim dicta, nos commonefaciat: *Nemo concumbat cum ea, quae ipsi sangvine proxima est.* praesertim cum adiungat ipse Deus, eam violasse gentes, quod arguit, eandem illis quocunque tandem modo promulgatam fuisse. Actum, qui adversus leges humanas suscipitur, nullum esse, negat nemo. Ecquid igitur est caussae, quamobrem matrimonium, etiamsi contra ius divinum contrahatur, toleremus? Incestus est, non matrimonium, ubi mas et femina, Deo interdicente, coierunt.

Duo

Duo in unam carnem coaluerunt, ita tamen, ut eos dissolvi, satius sit, quam perpetuo reatus vinculo colligatos teneri. Neget, qui quantumque volet, cum Talmudicis, legem, quam praedixi, latius, ac loquitur, patere: laudibus quoque efferat horum doctrinas, easdemque praecipue observatione Ecclesiae Ebraeae, tum Philonis Iosephique consensione, commendet. Nihil moveor, sed tutius existimo, ius divinum hic quoque perreverenter haberi, eiusdemque sententiam, in tanta delectus copia, magis ampliari, quam restringi. Pergit Deus: *Ego Dominus Deus vester.* Quibus verbis monemur, ne curiose nimis rationem legis divinae investigemus, neu verba captemus, sed ut voluntatem sacro cultu veneremur, nec tam, quid in republica quacunque fiat, quam quid fieri debeat, spectemus. Nihil tamen abnuerim, hac circumspectione, prudentiaque temperandam esse sententiam, ut et iuri divino sua constet auctoritas, et eidem pro ratione eorum, quae circumstant, aequa interpretatione nonnunquam subveniatur. Nam si in capite homicidii longinquitate iniuriaque temporis reum omnia defensionis praesidia destituant: idcircone nullam praescriptionis rationem habendam omnino ducamus? minime vero. nec dissimile de ceteris iudicium esto. Quorsum inprimis capio Augustinum, cum Marcellinum comitem cohortatur, ut *pii patris officium impleat, et sic succenseat iniquitati, ut consulere humanitati meminerit: nec in peccatorum atrocitatibus exerceat ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeat voluntatem, nec atrocius vindicet, quod levius invenerit.* Pari modo nobis praecipit Marcianus, cum, *perspiciendum est, inquit, iudicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam caussa deposcit: nec enim aut severitatis aut clementiae gloria affectanda est: sed, perpenso iudicio, prout quaeque res expostulat, statuendum est. In levioribus causis proniores ad lenitatem: in gravioribus poenis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi debent.* Princeps, cum legem, quae poenam imponit, non relaxat, sed aequitate nixus, locum interdum habere negat, non principem agit, sed interpretem, eamque exercet attemperandi potestatem, quam cuilibet magistratui Deus indulget. Exempla, quibus capitis poena reis vel plane remissa est, vel in mitiorem commutata, sola legis interpretatione plerumque sustinentur, sic affecta, ut, expensis iis, quae rem circumstant, praedictam poenam excludant. In his talibus principis nulla inest gratia, quam subinde cum ipsa legum, poenas irrogantium, accommodatione a nonnullis, in primisque a Fernando Vasquio confundi, Hugo Grotius animadvertit, quamvis ipsemet eodem vitio saepenumero laboret. Sed cum religioni ducam, amplissimi patientia auditorii abuti: ad illud, cuius caussa praecipue hanc in concionem ascendi, potius accedo. Petiisti a me, Amplissime Vir, quod summo iure postulare poteras: petiisti, inquam, ut auctor Tibi fierem, clarissimos Viros, quos mihi stitisti, Iuris Doctores publice renunciandi. Cui quidem honestissimae petitioni Tuae hoc libentius assentior, quo magis omnibus illorum virtus est cognita, eruditioque perspecta. Quod igitur felix, faustum fortunatumque sit, ego IO. HENRICUS BERGERVS, I. V. Doctor rite creatus, et h. t. Collegii Iuridici Decanus ac Procancellarius, pro ea, qua in praesenti fungor, auctoritate, Tibi Amplificator longe Spectatissime, tribuo potestatem in utroque tam Pontificio, quam Civili iure Doctores creandi, creatos renunciandi, renunciatosque solemni ritu inaugurandi, Viros Nobilissimos, Clarissimosque, absentes aeque ac praesentes, nominatim

L. IO. FRIDERICVM FVGMANNVM, Belzigio-Saxonem, Divorum Electorum Sax. IO. GEORGII II. et III. Praefectum Belzigiensem et Rabensteinensem atque Practicum,

L. GOTTLOB. LEISTENIVM, Leucopetraeo-Misnicum, Patronum causarum Dresdensem,

L. IO. CHRISTIANVM WAECHTLERVM, Ossitio-Misnicum, Advocatum Belzigiensem,

L. IOBVM TIELMANNVM, Kosdorffio-Misnicum, Consistorii Electoralis Saxon. quod hic est, Protonotarium,

L. GHRISTIANVM TEMMICHIVM, Belgera-Misnicum, eiusdem Consistorii Advocatum ordinarium, et redituum Provincialium in circulo Electorali Procuratorem,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0111-5 DFG

L. GOTTLIBIVM BENIAMIN FVHRMANNVM, Dresdensem, in patria Advocatum,

L. IO. ELIAM TREIBERVM, Arnstadio-Thuringum, Advocatum Lipsiensem,

L. IO. GEORGIVM KRAVSSIVM, Vestheimensem Francum, Advocatum Dresdensem,

L. GEORGIVM LVDOVICVM THILONEM, Lubena Lusatum,

His, inquam, omnibus, ac singulis, ut honores expetitos impertiaris, hos ut iuribus ac privilegiis ordinis huius propriis exornes, exornatosque in augustissimo hoc templo renuncies, non annuo modo, sed volo etiam iubeoque. Consurgite, ornatissimi Candidati, ite, conscendite haec pulpita, et praemia laborum inter haec gaudiorum solemnia capessite, partamque dignitatem ornamentis amplissimis in reliquum cumulate. Tu vero, magne praepotensque Stator literarum, fac, haec religionis et bonarum artium sedes, Potentissimo Poloniarum Rege, eodemque Electore Saxone, Nutritio nostro longe clementissimo, diu multumque salvo et incolumi, et domi forisque claro, ac florentissimo Iuventutis Principe, Rectore Magnificentissimo, adversus iniurias et molitiones hostium invicta perstet, et honores, qui in praesenti Candidatis nostris tribuuntur, sanctissimo Nomini tuo gloriosi, omnibusque, quorum interest, salutares existant.

XXI.

D. GODOFREDI SVEVI,

formula solennis renunciationis.

VTar iam sine ulteriori mora potestate mihi a Domino Procancellario liberaliter concessa, auctoritateque, qua polleo, Caesareao Regia atque Electorali, ut de Pontificia nihil dicam. Quod felix faustumque sit, universaeque Reip. inprimis autem Ordini Nostro salutare, ego, GODOFREDVS SVEVVS, Vitebergensis Saxo, Iur. Vtr. Doctor itidem rite promotus, in hac Academia Pandectarum Professor Publ. Curiae Elect. Scabinatus et Facultatis Iuridicae Assessor, et ad praesentem actum solennem Promotor legitime designatus, vos Iur. Vtr. Licentiatos,

Te, IOH. FRIDERICVM FVGMANNVM, Belzigio Saxonem, Divorum Electorum Sax. IOH. GEORGII II. et IIItii gloriosissimae memoriae Praefectum Belzigiensem et Rabensteiniensem, nec non Iuris Practicum, praesentem,

Te, GOTTLOBIVM LEISTENIVM, Leucopetraeum Misnicum, Patronum causarum Dresdensem, absentem; iam inter ceteros praesentes,

Te, IO. CHRISTIANVM VVAECHTLERVM, Ossatio Misn. Advocatum Belzigiensem,

Te, IOBVM TILEMANNVM, Kosdorffio Misn. Consistorii Ecclesiastici Sax. quod hic est, Protonotarium, nec non Curiae Electoralis Fisci Procuratorem,

Te, CHRISTIANVM TEMMICHIVM, Belgeranum Misn. eiusd. Consistorii Advocatum ordinar. et redituum provincial. in Circulo Elector. Sax. atque Fisci in dicto Consistorio procuratorem,

Te, GOTTLIBIVM BENIAMIN FVHRMANNVM, Dresdensem, et in Patria Advocatum,

Te, IOH. ELIAM TREIBERVM, Arnstad. Thuring. Advocatum Lips.

Te, IOH. GEORG. KRAVSIVM, VVestheim. Franc. Advoc. Dresdensem, et

Te, GEORG. LVDOVIC. THILONEM, Lubena Lusatum.

Doctores Vtriusque Iuris, Civilis ac Canonici, cum omnibus annexis iuribus ac privilegiis creo, creatos renuncio, et pro talibus ab omnibus ac singulis ubivis locorum perpetuo haberi volo atque iubeo, idque facio in nomine SS. Trinitatis, DEI Patris, DEI Filii, et DEI Spiritus Sancti. Porro progredior ad ornamenta atque insignia ab Invictissimis Imperatoribus ac Gloriosissimis

Aca-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0112-1 DFG

Academiarum Fundatoribus ordini Doctorum Nostrorum clementissime data atque concessa, tanquam totidem luculentissima testimonia atque argumenta, Vos a communi vulgarique hominum sorte omnino esse distinctos, atq; longissime separatos. Ac *primo* quidem collocatos Vos videtis in eadem mecum esse cathedra, quo ipso Vobis largior facultatem docendi Iura, nec non disputandi publice, respondendi de Iure, ceu doctrina, Legumque notitia huic rei sufficienti abunde ornatos, publiceque agnitos. *Deinde* exhibeo libros, eosdemque Vobis aperio, ut cogitetis, in iis versandum etiam doctoribus esse assidue, neque unquam cessandum ab industria augendi indies magis magisque, qua polletis, scientiam Iuris, vobis antehac non sine maximo labore largiter comparatam. Claudo nihilominus hos eosdem libros *iterum*, eoque Vos admoneo, occurrere saepenumero occasionem, qua de iure respondere rogatis nulla detur volumina Iuris evolvendi copia, imo emergere identidem quam plurimos casus a nullo unquam autore decisos, istosque non aliter, quam ex analogia Iuris, forique observantia, debere aestimari. *Nunc* purpureum pileum capiti vestro impono, ut hinc omnium ac singulorum oculis pateat, Vos non tantum liberos atque ingenuos, sed etiam eo ornatu dignos esse, qui Imperatorum, Regum atque Principum est solet, vosque simul ob Iuris artem purpuratis atque amicis Imperatorum, Regum ac Principum conciliat et quadantenus aequiparat. Exorno *insuper* digitos Vestros annulo aureo, equestris dignitatis non saltem indicio atque argumento, sed cuius materia aeque ac figura de candore sinceritateque, qua erga unumquemquemque unicuique vestrum se gerere convenit, simul vos instruere docereque et potest, et debet, ut nunquam a tramite iusti boni atque aequi Vos averti patiamini. Osculo *tandem* Vos complector, ut habeatis amicitiae mutuae, ac charitatis, et concordiae, symbolum, bona, quibus nullum Collegium unquam carere potest, certe Ordini nostro valde necessaria, ne, quando sententia dicenda cum aliis est, odio, invidiae, superbiae, aut contemtui locus ullus relinquatur, sed potius prout religio suggerit, ius ad factũ perpetuo accommodetur. Salvete nunc creati a me Doctores Vtr. Iur. atque iterum iterumq; salvete, et uti primus sum, atque maximae laudi mihi duco, qui Vobis istis de honoribus ex animo hic publice gratulor, utque omnia ista Vobis felicissime cedant, pietate ductus, voveo, ita quoque maximum gaudium idque Vestrum proprium erit, quod fama rerum vehet perpetuo, celebrabit aeternitas temporum, parentes liberis, liberi nepotibus, nepotes posteris narrando tradent, Vos nimirum hic praesenti tempore, munificentia Regia atque Electorali, ipso Electoratus Herede, Principe Iuventutis Regio, Rectore Magnificentissimo, in consessu tot illustrium virorum, locoque hoc Sacro dignitatis honorisque gradum esse consecutos, quale decus eximium per integrum seculum nemini hic loci unquam contingere potest, aut sperare licet, et si forte quod aliud seculum, Deo ita volente, ab Academia inchoabitur, in hoc istud celebrantibus Vestri memoria non sine quadam sui veneratione, maxima cum laetitia, omnino iterum renovabitur. Nihil nunc superesset, quam ut ad gratiarum actionem me accingerem: sed hac ideo supersedere iubeor, quandoquidem paulo post DEO, Regi et Electori, huiusque Filio, Regio, Iuventutis Principi, eidemque Rectori huius Vniversitatis Magnificentissimo, toti tandem illustri amplissimoque Auditorio, unus ex creatis Doctoribus decentes gratias persolvet, eo ipso solenni huic panegyri colophonem feliciter pieque impositurus.

DIXI.

XXII.

ORATIO

D. IO. GOTHOFREDI BERGERI,

Archiatri Regii, Ordinis Medici Prof. Prim. Senioris, et h. t. Decani,

Recitata in Seculari inauguratione Doctorum XVII. Medicinae, XV. Kal. Nov. A. C. cIↃ IↃccIIII.

CVm mihi more institutoque maiorum in solenni hac celebritate, sed, quando alii ante me dixerunt, nec temporis ratio aliter sinit, breuius et summatim, sit dicendum: non melius fecero, aut sapientius, quam si diuini Numinis singularem bonitatem agnoscam religioseque uenerer, qua hic loci effectum est, ut omnis omnino doctrina, quantam humanus animus complecti potest maximam, tantis efferretur auctibus, ut nulla sapientiae humanae pars inueniri possit, quae non excellentium contentione ingeniorum, et admirabili quadam felicitate, ad summum esse fastigium prouecta uideatur.

Equidem nihil commemorabo de ueritatis caelestis atque aeternae studio, quod hoc in loco e tenebris ueluti in lucem reuocatum esse, et norunt omnes, et boni gratis animis fatentur: adeo ut nullus Christiani orbis, qua labis est expers, locus tam longinquus et disiunctus reperiatur, quo non splendor diuinae lucis, effulgens inde, peruaserit, nulla sit gens, natio nulla, emendatis imbuta sacris, quin Vitebergam instauratae religionis ducem magistramque unicam collaudet identidem ac reuereatur.

Non uacat, quod occupari ab aliis memini, afferre in medium, et copiosius recensere, quantum luminis et splendoris ab eadem Academia nobilissima iurisprudentiae disciplina sit mutuata, propterea quod ea hic eminuerunt uirorum iurisconsultissimorum ingenia, quae aliorum maximorumque hominum exquisitae scientiae palmam gloriae ac dignitatis praeripuerunt, et nominis sui memoriam amplissimis ad omnem posteritatis recordationem monumentis consecrarunt.

Longum est exponere, quantum omnis omnino philosophiae literarumque cognitio, et singularis quidam cultus, augusto huic bonae mentis domicilio acceptum referat, quando inter omnes constat, neque externae gentes inficiantur, Philippi Melanchthonis, magni et communis Germaniae doctoris, diuino prorsus ingenio, aliorumque clarissimorum hominum admirabili quadam industria, sapientiae, omniumque scientiarum, et praestantium artium, fundum ita esse excultum, ut uere, quicunque contendat, ex eadam Academia ad philosophiae atque humanitatis emendationem, quam ad sacrorum instaurationem, non minus emolumenti commodique accessisse.

A me minus alienum est, artis salutaris replicare memoriam, quae tantis doctorum conatibus aucta est ac perpolita, ut habeamus omnino, nisi erga maiores nostros ingrati simus, quos clarissimis peregrinorum luminibus populorum uel comparare, vel anteferre interdum, queamus.

Ac nescio profecto, quod tandem maius illustriusque ornamentum ordini nostro possit adiici, quam quod eodem loci floruit quondam docuitque ille, qui cum inter medicos aetatis suae principes referendus esset, auctoritate hortatuque suo tantopere permouit optimum et maximum conditorem huius Academiae, Fridericum, sapientis nomine immortalem, ut, quam Musarum sedem alii alio transferri uolebant, eam Vitebergae collocaret.

Non poterat tot tantisque meritis, quibus et nascentem, et adolescentem Academiam cumulauerat uir summus, consuli praeclarius, quam si primus eius Rector constitueretur Martinus Polichius, patria Melrichstadius, qui principem in ea locum, quoad uixit, praecipua auctoritate defendit. Idem pri-

primus in album Academiae relatus est, et exemplo suo mouit professores ceteros, ut idem institutum sequerentur. Hoc auctore, tantopere creuit Academia, ut primo illo, quo consulatum gesit, semestri CCCCXVI. ad civitatem adscriberentur, confluentibus undique doctrinarum studiosis, qui ex peregrinis et longinquis terrarum oris huc commeabant. Hoc Academiae gubernaculis admoto, Bernhardus Schillerus, artium et philosophiae magister, primus omnium Medicinae Doctor renunciatus est, posthac eiusdem artis professor in illustri Friburgensium Academia factus, ante quem nemo cuiusquam ordinis gradum in hac Academia assecutus est. Sed primus erat Polichius, cui Doctoris Theologi amplitudo solemni inaugurandi formula hic tribueretur. Erat enim ea aetate, cum literae primum in lucem revocarentur, tantus ad studia impetus animorum, tanta discendi cupiditas, ut expleri uix posse uideretur. Quare uiri ingenio praestantes summa ope nisi sunt, ut plurium cognitione disciplinarum excellerent, eodemque doctrinae ardore aliis praeclarum ad imitandum exemplum reliquerunt. Ita uero in fastigium diuinae humanaeque scientiae euectus est Polichius, et apud posteros admirationem uaticinando sibi peperit, cum dicere soleret, tantam esse uim ingenii in Martino Luthero, ut plane praesagiret, mutaturum esse uulgare doctrinae genus, quod tunc in scholis omnibus tradebatur, ut memorat Philippus Melanchthon. Vel, ut memoriae prodidit Io. Mathesius, idem iste, inquit, monachus doctores turbabit, nouam doctrinam proponet, totamque Romanam emendabit ecclesiam. Intentus enim est Prophetarum et Apostolorum scriptis legendis, nititurque uerbo Iesu Christi. hoc nec Philosophi et Sophistae, nec Scotistae, Albertistae, Thomistae, subuertere possunt.

Obruor dicendi copia, cum recogito, quot quantique huius Academiae Medici superiora illustrarint tempora, quorum multi, quod indignum dictu sit, minoris a nobis fiunt, quos tamen eae etiam nationes, quae alioqui Germanis obtrectant ingeniis, inter artis salutaris decora nunquam intermoritura numerare consueuerunt.

Ne omnium ineam numerum, laudo Io. de Bel, Equitem auratum, Theodoricum Blochium, Simonem Steyn, Petrum de Borchardis, Thomam Esthausium, Martinum Bergerum, Heinricum Stagkmannum, Augustinum Schurfium, Melchiorem Fendium, Vitum Oertelium, Io. Hermannum, Paulum Lutherum, Hieronymum Schallerum, Io. Mathesium, Barth. Schoenbornium, Franciscum Fabrum, Ernestum Hettenbachium, Tobiam Tandlerum, Io., Georgium Pelshoferum, Marcum Banzerum, tantos profecto uiros, ut nesciam, quam beatam feram Vitebergam, quae horum, totque plurium, laboribus ac meritis celebritatem nominis sui longe lateque propagarit.

E pluribus aliis commemoro Iacobum Milichium, qui ab ineunte aetate optimis literis deditus, atque in Academia patria Friburgensi inter doctissimos enutritus uiros, cum multis aliis, tum praesertim Desiderio Erasmo Roterodamo, familiaris et carus fuit. Ibi cum plures annos humanitatis studiis impertiisset, nec minores progressiones in arte medendi fecisset, Vindobonam Austriae concessit, quod in hac praecipue urbe ea tempestate floreret antiqua ratio sapientiae excolendae, inprimis physice et mathematice, cum pleraeque adhuc scholae inquinatae essent sordibus et quisquiliis barbarae illius doctrinae, quam scholasticam nominarunt. Inde in hanc commigrauit Academiam, excitatus studio instauratae de rebus diuinis disciplinae, famaque Philippi, quem dicere solitus erat Desiderius, in quamcunque artem neruos ingenii intenderet, ea summum quemque artificem superaturum. Hunc suauitate moris, et ingenii praestantia, ac solidae doctrinae uarietate, discendique ardore, simul atque accesserat, tantopere cepit, ut uix dies intercederet, quin ab eo domum inuitaretur, quae iis temporibus doctorum, undecunque aduenissent, commune semper hospitium erat, hoc grauius dolenda, quo minus puduit posteritatem impedire, ne tanti uiri hospes, quae quondam eruditionis emporium appellabatur, uetustate collaberetur. Adeo uero Philippum sibi deuinxerat Milichius, ut in grauissimis consiliis eius, et sermonibus

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0115-8 DFG

ſapientiae plenis, ſaepe multumque conquieſceret, et iudicium eius de rebus et controuerſiis maxime arduis requireret, in eiusque amore et ſinu curas et ſolicitudines deponere ſoleret. Viri magnitudinem uix animo complector, qui accurata philoſophandi ſcientia excelluit, et inſigni prudentiae gloria eminuit, non magis naturae inſtructus ſubſidiis, quam multo atque asſiduo hiſtoriarum, ueterum pariter ac recentiorum, ſtudio adiutus, et excultus adeo, ut ſi a Philippo et Camerario, quibus cum coniunctisſime uerſabatur, diſceſſeris, harum rerum cognitione nemo ei praeferendus uideretur. Ingrata ſit Viteberga, ni uiri huius manibus bene precetur, qui ſcientias mathematicas, antehac parum cultas, in Academia hac excitauit inter praecipuos, grauisſimaque utilitatis commendatione, inflammato ingeniorum ardore, mirifice auxit. Iisdem ad ſcientiae naturalis ſtudium uſus, ineptas imperitorum hominum opiniones profligauit, et quae obſcure tradebantur, perſpicue explicauit. Doctrinam eius inter alia loquatur enarratio ſecundi libri Plinii, qua multi nodi et labyrinthi aſtronomici et phyſici tam ſcite explicati ſunt atque illuſtrati, ut difficultas, quae rudiori ſeculo uix ſuperanda uidebatur, magnopere euicta ſit atque expedita. Medicus Medicum laudem neceſſe eſt, quum recordor, hunc non ſolum anatomen, et mutilam, et erroribus obſitam, paulo diligentius tractaſſe, ſed et fere primum artem ſalutarem ad fontes Graecos, e quibus Arabum riuuli, inquinati ſaepe, ducuntur, reuocaſſe, auditoresque adſuefeciſſe, ut doctrinam ex limpidis potius fontibus, quam ex turbidis interpretum lacunis, haurirent.

Nulla nos obliuio capiat Salomonis Alberti, cui ea contigit felicitas, ut, cum non rem tantum herbariam, ſed etiam inprimis Anatomen, qua ſine nemo ſe medicum profiteri auſit, magno excoleret ſtudio, primus, poſt Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, ualuulas uenarum in artubus publice ante oculos ſpectantium poneret, et ualuam, ilii foribus ad introitum in colon praefectam, atque a nemine antehac deſcriptam, in eodem cadauere detegeret, quemadmodum multa eius accurata doctrinae monumenta declarant, quibus apud poſteros famae nunquam delendae gloriam ſibi comparauit.

Iniuriam fecero meritis Andreae Schatonis, viri, dum uiueret, in ſcientia medendi ſine controuerſia magni, ni Graecarum Latinarumque literarum inſignem peritiam laudem, et magni faciam commentandi artem, qua excelluit tanta, ut eleganti atque erudita, quae exquiſitae eruditionis et ſingularis diligentiae laudem mereatur, enarratione illuſtrarit uarios Hippocratis libros, ſigillatimque praeſtantisſimum eiusdem opus Aphoriſmorum, id quod erudita antiquitas, propter maximam doctrinae in illa breuitate copiam, ſic admirata eſt, ut Suidas ſcribat, librum Aphoriſmorum Hippocratis uim ingenii humani et ſagacitatem ſuperare. Hoc grauius dolendum eſt, alias doctisſimi viri lucubrationes, et illa inprimis mathematicae ſcientiae praeclara documenta, lucem non aſpexiſſe, quorum multa, neque ea mediocris uel ingenii, uel induſtriae, apud Michaelem Sennertum memini uidere.

Nec uero cuiquam ignotus eſſe poteſt cultiſſimae uir ſcientiae, limatique iudicii, et eloquentiae cuiusdam lectiſſimae, utinam melioris fati, Io. Ieſſenius a Ieſſen, quem et politiſſimi libri in aetatis ſuae ornamentis iam dudum repoſuerunt, et principes tanto complexi ſunt amore, ut eum a latere ſuo diuelli nollent.

Optarem iam, tanta eſſem dicendi facultate praeditus, quantam Danielis Sennerti ingenium, extra omnem dubitationis aleam poſitum, expoſcere uidetur. De quo illud dixiſſe habeo, nihil tam praeclare dici poſſe, quin eius merita, terrarum orbis applauſu excepta, ſuperare uideantur. Miratus ſum, neque id inficior, cum uerſarer Lutetiae Pariſiorum, ingreſſusque Auditorium, Sennertum publice explicari, et multis magnisque laudibus ornari, audirem ab illius doctore gentis, quam ſcimus alioqui Germanis ingeniis omnem omnino acuminis laudem detrahere, quaſi ſint ſub craſſo Boeotiae aere nata. At uero haec de Germanorum ingeniis iniquius concepta opinio, quae in multis illius populi animis inueterauit, tantum non obfuit Sennerto, quin is, quod in hac exculta medicinae cognitione,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0116-4 DFG

tione, et in tanta exquisitissimorum librorum multitudine, admiremur merito, inuidae et nasutae nationi, praeteritis patriae doctoribus, peregrinus, idemque Germanus, studii huius dux et magister proponeretur. Quo factum est, ut opera Sennerti omnia, primo Lutetiae Parisiorum, id quod Guido Patinus, medicus Parisiensis, idemque praestantissimus, ad Io. Casparem Bauhinum cum magno autoris elogio perscripsit, dehinc quater Lugduni ad exemplar Germanum excuderentur. Agnoscas uirum, si uersum legas, quem in editione postrema illius imagini Carolus Sponius, V. C. adiecit:

Vin Meditrinae medullam nosse? Sennertum uide:
Ora sic tulit, parem qui uix habet laude ingeni.

Quod in Gallia, idem in Italia usu mihi uenit, cum Patauii, Bononiae, Romae, Neapoli, rei nunquam cogitatae admiratione perculsus, audirem celeberrimos ordinis nostri doctores publicis priuatisque commentationibus explanantes Sennertum, et tantis cohonestantes laudibus, quantas homini transalpino ab ingeniosis, et superbis nonnunquam, Italis unquam expectandas fuisse, persuaderi nunquam potuissem. Quanquam iam dudum Venetiis opera eius bis in lucem prodierant: ut intelligi possit, quantus honos illi sit habitus, cuius libri tam multi peregrini sumptu populi recuderentur. Sed uiuum etiam Sennertum cum ab Italis aliis, tum in primis ab Ioanne Praeuotio, et Andreghetto Andreghettio, professoribus medicis Patauinis excellentissimis, publice priuatimque maximis affectum laudibus, atque omnibus aetatis illius medicis praelatum fuisse, inter alia literae Praeuotii ad illustrissimum Comitem Nicolaum de Sapieha, et aliae Samuelis Kinneri, Medici Vratislauiensis cL. ad Sennertum, testantur. Tacitus praetermittere non queo, quod Marcellum Malpighium, cui uel nomen suffecerit, mihi coram dicere memini, et, quoad uixero, ad aeternam Germaniae nostrae dignitatem referam, si ad haec tempora peruenisset Sennertus, futurum fuisse, ut, cui rei unus par fuerit, ars salutaris in nouam plane faciem formamque conuerteretur.

Quanti eum Bataui fecerint, e pluribus Conradus Matthaei, Professor medicus Groeningensis exponit, qui Sennertum medicum sui aeui principem appellat, et uirum, scribit, aetate gauem, Evaldum Screuelium, medicae artis in Academia Lugdunensi Professorem primarium et multae existimationis, auditoribus suis scripta Sennerti ita commendare, ut unice fere legenda, et nunquam e manibus deponenda ducat.

Nihil attinet aliarum nationum, ac praesertim Germanorum, percensere iudicia, quorum sicut quondam in literis Melanchthon, ita in medicina Sennertus, communis praeceptor dictitabatur. Instar omnium sit unum, idemque sincerum, neque infucatum, summi uiri, Hermanni Conringii, testimonium. *Restat*, inquit alicubi, *ut tandem de Sennerto nostro aliquid dicamus, et libere quidem atque procul omni affectu. Sane Praxis eius etiam ab exteris tanti facta est, ut bis in Gallia eam typis mandarint: quamuis admodum mendosae sint illae editiones. Habet autem primo hoc Sennertus, quod omnes pene morborum species, secus ac reliquis practicis factitatum, tractandas sibi sumpserit. Quapropter multa apud eum inueniuntur ab aliis prorsus indicta. Merito deinde etiam illud laudandum est, quod de singulis morbis suam sententiam exponat, et signa tam diagnostica, quam prognostica identidem una cum modo curandi adiiciat, ita tamen, ut singula seorsim et suo loco tradat; quae uulgo admodum confuse solent exponi. Sed et illud laude dignum, et quidem praecipue, quod medicamenta, quae hodierno usu innotuerunt, indicet; nec chemica solum, sed et uulgari modo praeparata adhibeat. Praeclarum denique et hoc est, quod controuersias circa morbos agitari solitas seorsim proponat, adiunctis etiam illis, quae difficiliora in artis usu occurrere solent; id quod ab aliis etiam neglectum est: ut uel hoc nomine omnibus ceteris anteponendus uideatur. Interim tamen et hoc laudandum, quod nulli sectae sese mancipauerit. Neque uero etiam hoc negaueris, aeque absolutum opus practicum uix reperiri.*

Quae cum mecum reputo, doleo uehementer artis nostrae causa, immortalis ingenii uirum non in haec incidisse tempora, tot rerum experimentis, et clarissima anatomes luce supra maiorum opinionem collustrata, quo in Germania uir existeret,

qui in amplissimum scientiae fastigium artem salutarem efferret.

Ecquid enim effectum non dedisses, Diue, cuius cineres hic ueneror, Sennerte, posteaquam chemiam sobriam primus in scholas introduxisti, et cum recta medendi ratione coniunxisti, siquidem mechanicam corporum nostrorum constructionem, si geometricam, et illam circuitionem sanguinis, ab Harueio demum post fata tua detectam, a qua uitae nostrae momentum, uisque omnis pendet, demonstratam uidisses, artemque omnem uia ac ratione docendi mathematica, qua, nouo iam exemplo, a Laurentio Bellino, et sagacioribus quibusdam aliis tractari coepit, aggredi et docere debuisses? Futurum, opinor, erat, ut quantum te omnium regionum terrarumque medici docuissent singuli, tantum et multo plus omnes omnino unus doceres.

Cum a Sennerto digredior, in mentem uenit eius collegae, Gregorii Nymmanni, qui cum multa uiua uoce docuit, tum scriptis oeconomiam et uitam foetus in utero, pro illorum ratione temporum, egregie explicauit. Ac tametsi uerum sanguinis motum nondum calluerit, satis tamen luculenter ostendit, causam morbi attoniti, quem Graeco nomine apoplexiam dicimus, intus in substantia cerebri sitam, non in medulla, uel fibris eius et neruorum, et qui existit inde, harum infarctu et obstructione, ut uulgo plerique opinantur, sed in uasis cerebri ductibusque sanguineis consistere, eoque nomine subitam et tempestiuam sanguinis ex uenis brachii, uel iugularibus, missionem optimum illius grauissimi mali remedium merito haberi: quo uno, longus rerum usus doceat, non paucos malo illo difficilimo liberatos fuisse: id quod minus sperandum foret, si causa morbi extra uasa sanguinea in medulla, siue fibris cerebri ac neruorum impacta et defixa haereret, cum ex iisdem sanguinis e sectis uenis missione educi illa nequaquam possit. Hac igitur obseruatione doctrinaque cum magna sua laude doctissimum praeiuit Scotum, Archibaldum Pitcarnium, qui idem illud aduersus non ueteres tantum, sed etiam recentiores, Syluium, Villisium, Vepferum, aliosqueque nuper admodum paulo accuratius euictum dedit ac demonstratum.

Video, Auditores, me aliquanto diutius acpollicitus sim initio, uerba fecisse. Nec tamen uos, opinor, offendero, si meritis uiri ductus, de Conrado Victore Schneidero non conticuero prorsus. Hic enim est ille, qui ex anatomes fundamentis cum plures alios, tum illum praecipue inueteratum, eumque pudendum, errorem coarguit, quo caput omnium origo catarrhorum falso iactabatur, de quo tanquam de fonte, uel arce et metropoli, humores serosi in partes subiectas, oculos nares, aures, fauces, pulmones, uentriculum destillent, atque in omnia corporis membra diffundantur: bene profecto, si quis alius, de nobilissimo, et diuino maxime membro meritus, quod alioquin, innoxium saepius, uariis et molestissimis pharmacorum generibus, et igni ferroque, ipsis aliquando humoribus noxiis grauius, et miserandum in modum ab imperitis medicis diuexari solebat. At circumspectae uir scientiae, suffragante medicorum senatu, ineptam opinionem peritissime confutauit, atque ex uitali humorum circuitu, magno artis incremento, nec minori aegrotantium solatio, ueram catarrhorum scaturiginem, eosque curandi rationem, tam perspicue et scienter tradidit, ut, si nulla alia, quorum tamen permulta sunt, merita superessent, hoc certo uno meritus uideatur, ut apud uiros medendi usu praecipuos gratiam ineat, et Academiae patriae, orbisque medici ornamentis adiungatur.

Nefas sit, quantumcunque festinemus, non meminisse Georgii Franci a Franckenau, cuius uirtutes admiratione dignissimas, et excellentia doctrinae merita, quo diligentius recogito, hoc acerbius iacturam, quam discessu eius fecit Academia, deploro. Auulsus est a complexu nostro, cuius desiderio incredibili tenemur, et tantum non conficimur. Placuit principibus uiris, cuius amore certabamus, et placuit adeo, ut reges eum in aulam uocarint, et in disiunctis terrarum oris regnisque teneant, ac gratia complectantur. Sed commigret, quocunque uelit, et commoretur, ubi ubi uisum sit, nunquam tamen ab animo nostro aberit, quem bonis recordationibus prosequimur, et cogitatione tanquam praesentem colimus, et uiuere ex animi sententia cupimus, Herique sui augescente indies gratia excelsissime florere.

Lon-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0118-5 DFG

Longius prouehor, quam instituti ratio finit, ob eamque causam ad id, quod huius est temporis, me recipio, atque ad te, Prodecane ordinis salutaris, spectatissime, Nobilissime, Amplissimeque Vir, Dn. Paule Gothofrede Sperlingi, Med. Doctor, Anatomes et Botanicae Professor publice celeberrime, ac Serenissimi Principis Seruesta Anhaltini Archiater meritissime, propius accedo. Produco in conspectum hos XVII uiros artis salutaris peritos, Licentiatos, inquam nostros, quorum honori et dignitati haec indici solemnia meministi. Etsi uero horum cum uita omnis sancte integreque acta, tum artis medicae scientia, fundamentis solide iactis parta, et crebro usu aucta ac firmata, multas praestantesq; laudes, quibus eos efferre possem, mihi annumerant et prope admetiuntur: huic tamen labori prudens parco, propterea quod neque horum uirtus mea interpretis laudatorisque ornamenta desiderat, nec tu, amplissime Vir, ignoras, quantopere expectationi tuae omniumque responderint, siue nobiscum priuatim colloquerentur, siue publice lectissima medicinae argumenta, ex inferiore loco differendo, tuerentur. Immo uero, id quod maiori nobis curae esse debet, tua potius, Procancellarie grauissime, humanitate utendum puto, quaesoque te, qua soles aequitate, Candidatorum nostrorum precibus locum relinquas, qui ab ordine nostro laborum curarumque, quas in difficilimum medicinae studium contulerunt, fructum, spe optatisque suis dignum, demisse petunt. Age igitur, Procancellarie grauissime, pro eaque, quam obtines in praesenti, auctoritate, indulge, ut mihi potestas fiat hos XVII uiros ad summum Doctoris gradum, et honores ac priuilegia, more rituque solenni, prouehendi. Hoc illud erit beneficii genus, quod mecum Candidati gratis animis, quoad uitam produxerint, agnoscent.

XXIII.

D. PAVLI GODOFREDI SPERLINGII,

Procancellarii, responsio, qua honores medicinae Candidatorum, festo ritu ceremoniisque, amplificanti auctoritatem publicam impertitur.

Vir Nobilissime, Amplissime atque Experientissime,

DOMINE

IOANNES GODOFREDE BERGER,

Medicinae Doctor celeberrime, Potentissimi Poloniarum Regis et Electoris Saxoniae Medice, Artis Salutaris Professor Publice Primarie, atque Senior meritissime;

SI ex nostrae Academiae incremento, et existimatione publica, in me unquam redundasse gaudium meminero, in praesens sane laetor, et multis nominibus animo afficior, ubi iussu POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS, Domini et Nutricii nostri Clementissimi, et sub auspiciis REGII PRINCIPIS, Domini et Rectoris nostri Magnificentissimi, secundum originis Seculum eruditae huius Civitatis celebramus, et una praemia merentibus decernimus, atque egregio Candidatorum numero supremos in arte salutari honores impertimur. Et habemus sane, cur in communi hocce gaudio gratulemur nobis, et immortali Deo humillimas agamus gratias, pro maximis in nos collatis beneficiis, et ea grato agnoscamus animo, ac pia voce, atque submissa veneratione praedicemus. Ingentia enim sunt, et vix numerari, aut mente concipi possunt, quae ab incunabilis Reipublicae huius literariae in hunc locum Divina contulit bonitas, et sempiterna commemoratione digna

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0119-4 DFG

ſunt, atque ab omni oblivione vindicanda. Quod enim aliquo in loco ſumus, divinae clementiae res eſt. Quod in luce hominum verſamur publica, Deo acceptum ferimus. Quodque emendatae fidei puritate fruimur, et diſcuſſa ſuperiorum temporum caligine, fugatisque tenebris, in veritatis luce vivimus, ſolius Dei miſericordiae tribuimus, qui ſacri Ordinis Patres coeleſti roborat auxilio, et ſui verbi puritatem per ipſos ſervat incorruptam. Huius beneficio reliquarum quoque artium liberalium nomen ſanctum apud nos ſervamus, quando viros nobis ſuppeditat, qui Academiam ſaluberrima doctrina ornant, et artes communi vitae utiles tradunt: quod ingens Academiae ornamentum affert, et maximorum virorum favorem conciliat. Concedimus quidem venerando Theologorum Ordini, qui antiquam tuetur gloriam, et fidei puritatem quaſi domeſticam ſervat, atque hodie quoque iſti hominum generi ſuccenſet, quod fictae pietatis ſimulacrum in furorem pene agit. Gratulamur pariter illuſtri Iurisperitorum Collegio immortalem gloriam, quam virtutum ſuarum monumentis, et maximis in Rempublicam meritis, ſibi vindicat, quando pro ſalute publica vigilat, et ad cuſtodienda vitae civilis munia, firmiſſima ſuppeditat praeſidia. Habet tamen Ordo Salutaris quoque, cur Dei bonitatem praedicet, qui noſtris etiam favet conatibus, et iis ita benedixit hactenus, ut ex illis quoque aliqua in Rempublicam redundent commoda, cum hodie ex coetu noſtro progrediantur Viri, qui multorum ſaluti conſulunt. Poſt Deum vero immortalem merito POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ſingularem in nos indulgentiam ſubmiſſa veneratione cognoſcimus, qui non tantum REGIVM PRINCIPEM, Rectorem Magnificentiſſimum, nobis clementiſſime concesſit, ſed et Candidatos impenſis ſublevat, et, ne quid gratiae deeſſe videatur, Perilluſtres Legatos nobis miſit, qui et muneris ſplendore, et Gentis dignitate excellunt, et honori eruditae ſodalitatis favent, atque otia haec literaria illuſtri ſua praeſentia ſolenniora reddunt. Haec itaque Divini Numinis beneficia, et iſtam POTENTISSIMI REGIS noſtri clementiam, ſicuti publice praedicas, et vota pro incolumitate REGIAE DOMVS facis, ac Deo atque REGI Academiam et Ordinem Salutarem commendas; ita ego horum commemoratione, in hac temporis penuria, ſuperſedeo, et potius in eam curam incumbo, ut Tuis ſatis faciam deſideriis. Pro ea itaque auctoritate CAESAREA atque REGIA, qua in praeſens polleo, ego, PAVLVS GOTTFRIED SPERLING, Medicinae Doctor legitime promotus, eiusdemque Profeſſor Publicus, et ad hunc actum Procancellarius rite deſignatus, tibi, Promotor Celeberrime, facultatem trado publice renunciandi XVII hos Medicinae Licentiatos, et Doctores declarandi, nominatim

DN. Lic. IOANNEM GEORGIVM HVGO, Corbac. VValdec.

DN. Lic. NATHANAELEM HEER, Gerlic. Luſat.

DN. Lic. DANIELEM PRAETORIVM, Budiſſ. Luſat.

DN. Lic. CHRISTIAN. LIBISCH, Domitſchens. Miſnic.

DN. Lic. GEORGIVM HENRIC. LIEBE, Freib. Miſn.

DN. Lic. DAVID. RICHTERVM, Zittavienſ. Luſat.

DN. Lic. IOANN. HYNISCH, Pleiſn. Polonus.

DN. Lic. IVSTVM VICTOREM SIBERVM, Scandavia Miſnic.

DN. Lic. IOANNEM GOTHOFREDVM LANGIVM, Schemnicenſ. Hungar.

DN. Lic. MICHAELEM HAENDTSCHKY, Sora Luſat.

DN. Lic. GOTHOFREDVM VVEBER, Cöthenſ. Anhalt.

DN. Lic. DOROTH. AVGVST. FINDEKELLERVM, VVitteberg. Saxon.

DN. Lic. IOANNEM NICOLAVM LEVTERDING, Olſnitio Sileſium,

DN. Lic. GOTTLOBIVM EHRENFRIED GAMPIVM, Zittavia Luſatum,

DN. Lic. IOANNEM IGNATIVM GOTOFREDVM VLRICH, Herbipolenſ.

DN. Lic. CHRISTIANVM SCHAEFFER, Delitio Miſn.

DN. Lic. PAVLVM DREISS, Belgardia Pomeranum,

et ſimul ex animo voveo, ut fauſti ac felices ſint honores, et aegris ſalutares, atque inprimis, ut divini Numinis gloriam amplificent.

XXIV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0120-5 DFG

XXIV.

D. IO. GOTHOFREDI BERGERI

ſermo, ritus renunciationis, a maioribus inſtitutae, ac poteſtati ſuae modo permiſſae, complectens.

QVod igitur bene et feliciter eueniat, ego, IO. GOTHOFREDVS BERGERVS, Medicinae Doctor rite renunciatus, ea auctoritate, quam in praeſenti ſuſtineo, uos XVII artis ſalutaris Licentiatos, nominatim

Te, DN. Lic. IOANNEM GEORGIVM HVGO, Corbac. VValdec.

Te, DN. Lic. NATHANAELEM HEER, Gerlic. Luſat.

Te, DN. Lic. DANIELEM PRAETORIVM, Budiſſ. Luſat.

Te, DN. Lic. CHRISTIAN. LIBISCH, Domitſchens. Miſnic.

Te, DN. Lic. GEORGIVM HEINRIC. LIEBE, Freib. Miſn.

Te, DN. Lic. DAVID. RICHTERVM, Zittauienſ. Luſat.

Te, DN. Lic. IOANN. HYNISCH, Pleiſn. Polonus.

Te, DN. Lic. IVSTVM VICTOREM SIBERVM, Scandauia Miſnic.

Te, DN. Lic. IOANNEM GOTHOFREDVM LANGIVM, Schemnicenſ. Hungar.

Te, DN. Lic. MICHAELEM HAENDTSCHKY, Sora Luſat.

Te, DN. Lic. GOTHOFREDVM VVEBER, Cöthenſ. Anhalt.

Te, DN. Lic. DOROTH. AVGVST. FINDEKELLERVM, Viteberg. Saxon.

Te, DN. Lic. IOANNEM NICOLAVM LEVTERDING, Olſnitio Sileſium,

Te, DN. Lic. GOTTLOBIVM EHRENFRIED GAMPIVM, Zittauia Luſatum,

Te, DN. Lic. IOANNEM IGNATIVM GOTOFREDVM VLRICH, Herbipolenſem.

Te, DN. Lic. CHRISTIAN. SCHAEFFER, Delitio Miſnic.

Te, DN. Lic. PAVLVM DREISS, Belgardia Pomeranum,

Vos, inquam, abſentes aeque ac praeſentes, Doctores medicinae, in hoc illuſtriſſimo conſeſſu creo, et publica uoce renuncio ac proclamo, in nomine S. S. Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, omniaque uobis iura et priuilegia, quibus hic ordo a ſummis Principibus ornatus eſt, attribuo et concedo.

Et quia uetuſtas ſapienti conſilio uoluit hos actus celebrari certis quibusdam ceremoniis, quos noluit eſſe ineptos ludos, ſed admonitiones utiles cogitanti, quid poſtulent: in his quoque morem a maioribus traditum amplectar. Ac primum uos in hanc ſuperiorem cathedram colloco, ut ſciatis, uos, qui adhuc a pedibus praeceptorum aſſediſtis, nunc poteſtatem nanciſci artem medicam docendi, et ubique terrarum exercendi, ac fruendi immunitatibus, quas medicinae doctoribus aliis quibuscunque ſacratiſſimi Imperatores conceſſerunt. Hunc igitur locum ita ornabitis, ut doctoris nomen exemplo laudis ſuſtineatis.

Deinde libros uobis trado et aperio, quo diligenter cognoſcatis, medicinae volumina uocis aſſidue uerſanda, atque ad uſum adiungenda eſſe. Non enim raro quaedam ſingularia, et inopinati grauesque euentus in medicina accidunt, ſuntque res nonnullae, quarum, ſine maximo labore, aut ingenti ſumptu, haberi cognitio nequit. Atque haec quidem non una tantum, aut altera diſciplina, ſed omnium artium cognitione circuloque, tum praeter ingenii praeſtantiam, multo etiam rerum uſu comprehenditur. Quare ut in tanta artis amplitudine, non minus ueterum, quam recentium inuenta, et obſeruationes, pernoſcatis, melioris notae libros in conſilium adhibeatis, hisque animum ita exerceatis, ut ſi qua in naturae receſſibus abdita occurrant, ea indagare, et eorum cauſas, unde talia fiant, et qua ratione eueniant, reddere poſſitis. Sic enim uos ab empiricis disiungetis, quos medicos opinio fecit multitudinis, et imperitae plebis, quae cum non raro deos, quidni etiam medicos ſibi fingat, Rurſus claudo eosdem libros, ut memineritis, in uſu artis et exercita-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0121-1 DFG

citatione non ſemper libros adeundos, ſed in promtu eſſe debere remedia, praeſertim ubi conſilium ex arena capiendum. Intelligatis praeterea, non ſuperſtitione quadam praeceptorum, uel auctorum aliorum placitis adhaerendum, ſed ſingula diligentisſime excutienda, nulliusque uel mortui, uel uiuentis auctoritati tantum, quantum rationi et ueritati, tribuendum eſſe. Multo profecto literis eſt utilius, de ſcriptis magnorum etiam uirorum iudicare, quam in ſola autoritate acquieſcere, atque in fide aliena obtorpeſcere. Quantum enim illa ueterum decreta, quibus pro ueris eorum, quae in nobis fiunt, cauſis, qualitates occultas, calidum innatum, humidum radicale, facultates, ſympathias, et alia eius farinae ſexcenta uocabula, nihil omnino ſenſus habentia, nobis obtruſerunt, incremento non tantum medicinae, ſed etiam uniuerſae naturalis ſcientiae, obfuerint, ipſi melius noſtis, quam uobis dicendum putem. Nec multo magis commodi attulerunt, quos alii ſpiritus, archaeos, ignes uitales, ideas, fermenta, et his ſimilia cerebri inſecta in ſcholas inuexerunt. Quamobrem in perlegendis medicorum libris ita ſtatuatis, dandum eſſe locum aliquem ueſtro iudicio, nec ſolummodo a maioribus relicta nobis arte contenti ſitis, ſed et aliquid eidem addere, et quod adhuc ipſi deeſt, ſupplere et perficere ſtudeatis, memoresque ſitis illius, quod eſt apud Fabium: Pigri eſt hominis, acquieſcere in iis, quae ab aliis ſunt excogitata, ſiquidem mentis acrimoniae nihil non humanarum rerum ſubiicitur. In eandem ſententiam Seneca praeclare: Multum, inquit, egerunt, qui ante nos fuerunt, non tamen omnia peregerunt. Multum reſtat operis, multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſecula praecludetur occaſio aliquid adhuc adiiciendi.

Impono uobis et pileum, inſigne illud libertatis Romanae, quo haud dubie Imperatores, eiusdem inſtituti autores, ſignificare uoluerunt, eos, qui tali aliquo honoris genere affecti eſſent, a uulgo disiunctos, omnique inſcitiae et turpitudinis iugo ſolutos eſſe debere. Saluete igitur mihi, Nobiliſsimi Doctores, ſaluete inquam, et honoribus ueſtris ex animi ſententia fruimini. Cauete mancipia ſitis imperitorum hominum, et futilium ac ineptarum opinionum, quibus dignitas medicae rei magis obſcuratur, quam illuſtratur. Date potius operam, ut ad ſalutem et inſtaurationem humanae incolumitatis curas ueſtras et cogitationes omnes dirigatis, non ignari, pro capitibus aegrotantium, quorum curationi praeſtis, uobis aliquando reddendam eſſe rationem.

Tribuo uobis etiam ius aureorum annulorum, qua nota cognitum eſt, apud Romanos ordinem equeſtrem et ſenatorium a reliqua multitudine diſcretum fuiſſe. Hoc igitur ritu militiae togatae dignitatem uobis impertior, et nobilitatem tribuo, ab Imperatoribus, et proceribus imperii, doctoribus, pari aequoque cum militaris, atque equeſtris, ordinis uiris iure, conceſſam, uariisque priuilegiorum capitibus munitam.

Poſtremo oſculum uobis figo, oſculum pietatis, quod debetis Deo, oſculum reuerentiae, quod debetis Regi, oſculum pacis et amoris, quod ſocio, inprimisque aegrato debetis. Hoc ipſo moneo uos, ne quaeſtui lucroque ſeruiatis, id enim ſordidarum eſt artium, ſed amore adiuuandi ſalutem hominum medicinam faciatis, certique ſitis, nulla re medicum propius ad Deum accedere, quam ſalute hominibus danda. Hanc enim potisſimum ob cauſam, priſcis ſeculis cum nondum ſordidi quaeſtus et ſpurcae uoluptates corrupiſſent omnia, medendi ars inter omnes una, principibus uiris praecipue cordi fuit, nec alia mortalium generi gratior. Eodem ritu uos cohortor, ut rixas et altercationes fugiatis, uosque animis, ad concordiae ſtudium, compoſitis, exoſculemini, et ſemper cogitetis, concordia medicorum magnos morbos dilabi, diſcordia paruos creſcere.

Quod reliquum eſt, Deum optimum maximum perſancte oro, ut Numine ſuo uos gubernet, et conatus ueſtros regat feliciter ac prouehat, cumulatisſimeque fortunet, quo rem medicam magnopere ornetis, et arte, ingenio, cura, fideque ueſtra, quod optimum nobis et charisſimum largitus eſt Deus, uitam hominum ualetudinemque defendatis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0122-7 DFG

XXV.

Oratio recens declarati Doctoris, qua, suo pariter ac reliquorum nomine, gratias agendi officium praestat.

Serenissimi et Potentissimi Regis Poloniae, et EL. Saxoniae, Principisque Regii, et Saxon. Heredis perillustres Legati, Prorector Academiae magnifice, inclytae Academiae Lipsiensis Delegati maxime splendidi, Generosissime Dynasta, Proceres et Patres singulariter suspiciendi, Hospites summopere observandi, Auditores omnium ordinum honoratissimi, nobilissimi, ornatissimique.

PEractis diuino munere solennibus, summo rerum parenti ac Domino, qui diuino Numine evexit nos, praemiisque cuumulavit, et bonitatis suae exemplum ut Academiae, sic nobis omnibus, ordini in primis salutari copiose declaravit, gratias necesse est persolvamus. Huius enim beneficio servati, non pertimescimus difficultates temporum, sed humani generis hostes et pestes ignorantiam et invidiam sine armis, sola arte et virtute propulsamus, nec tantum in nobilissima divinarum humanarumque rerum contemplationc versamur, sed etiã ex coelo devocatam Dei colendi disciplinam, in risprudentiam et medendi artem, comparatis undecunque praesidiis, usu adiuvamus atque exornamus, nec minus animorum, quam corporum humanorum, in quibus mens, diviniori naturae proxima viget ac habitat, salutem, profligatis ope nostra morbis, tuemur, et aegris, depulso langvore, novas vires impertimur. Gaudemus merito, Deique bonitatem praedicamus, quod prae aliis omnibus caligo humanis mentibus offusa coelesti lumine discussa est, ut cum meditando et investigando, tum agendo et experiendo, cuiusque ordinis decus, quanta possumus cura, Dei munere donoque defendamus et conservemus, quam felicitatem optamus esse perpetuam, et omnium Academiae ordinum meritis condignam. Quid Regi debeamus, quantam eius vim beneficentiae experiamur, nec mens nostra, neque cogitatio humana capit. Maxima, et prope infinita in nos beneficia contulit, quae ab incredibili in patriam caritate proficiscuntur. Servet Deus et tueatur Principem maximum, firmet eius solium, et ab iniuria defendat, consilia regat Regis et moderetur. Sacrosanctum illius Caput est, quo salvo, stamus, et perpessu difficilia patienter ferimus ac superamus. Cuius amorem et indulgentiam eo magis admiramur, et laudibus prosequimur, quod Filium tranquillitatis et literarum custodem nobis dedit, et caput esse voluit, in quo Patris gloria reflorescceret, nec magis Saxoniae, quam Academiae delicium esset.

Hoc enim vivo, Saxones praesidio muniti et septi, nullam gentis suae vastitatem, nullam domus regiae et principalis orbitatem reformidant. Vtriusque gratia et munere Legatos in clarissima Academiae luce intuemur, qui radiis ab sole accensis, suae splendorem praesentiae ad nos diffundunt, quorum comitate et benevolentia omnes recreantur. Nihilosecius in Prorectorem Academiae magnificum officia constabunt, qui nihil, quod nobis utile putaret, et honorificum, praetermisit. Tum delegati atque proceres benevolentiam nobis confirmant, et libentibus animis oculisque seculare gaudium Academiae gratulantur. Quibus et officia, quae et quanta possumus, exhibere conamur, votaque pro illorum salute nuncupamus. Praeter ea laudatorum ordinum, patribus Procancellariis, Senioribus, Promotoribus, et reliquis, quorũ auctoritate in hunc locum ascendimus, et honores suscepimus, quantum possumus maximum honorem deferimus, fidem et obsequium pollicemur, quod nos doctrina et exercitatione, et multis diuturnisque laboribus duratos et firmatos, ad honoris fastigium evexerunt, quibus ducibus in intima doctrinae penetralia pervenimus, et tot vigiliarum mercedem consecuti sumus. Haec beneficia si obliviscamur, impii simus: tantum pietate in praesentia opus est, et recordatio-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0123-2 DFG

datione publica, quae gratos decet. Ad extremum Vos omnes Hospites et advenas, Cives Academicos, et literarum, praesertim honoris nostri patronos et applausores, fautores et auditores universos alloquor, et ut nobis bene cupiatis, vehementer obsecro, et quod dignitate orationis non possum, votis precibusque a Deo exorabo, ut aequabili semper fortunae cursu floreatis, et constanti rerum felicitate perfruentes, omnium oculos in vos convertatis, hisque adeo et prosperis successibus cuncta eveniant, atque ex sententia vobis succedant, et consiliis praecipue vestris facta respondeant, conatusque et actiones omni tempore divinitus fortunentur.

XXVI.

IO. ANDREAE PLANERI, P.P.

Decani Ordin. Philos.

Programma, quo ingenuarum artium Candidatis secularia solennia capessendi maximum sapientiae decus, cum inuitatione, denunciantur.

ILlius tandem rei origines inuestigare est animus, unde tot, ac tanta emolumenta in rem literariam redundarunt, ut nulla unquam oratione satis explicari queant, quaue potuit uix quicquam potentius, atque efficacius ad amplificanda optimarum artium studia ullo tempore excogitari. At enim, dum in re ea omnem animi cogitationem defigo, dum annales, rerumque gestarum monumenta peruoluo, et, quamuis studiose, ac attente, inspicio, quo longius progredior, quo plus operae, iuxta et otii, in persequendo eo instituto colloco, hoc minus reperio, quod huius quidem expectationem desiderii expleat: tantumque abest, ut incredibilem animi cupiditatem satiet, ut acuat potius, extimulet, inflammet. Nemo equidem facile existat, cui obscurum, parumue perspectum sit, a Caesarum Augustorum indulgentia, et Pontificum maximorum liberalitate, dignitatum gradus Academicarum, de his enim loquimur, profectos, a plerisque Christianorum, tanquam inuentum, non centum tantummodo mactatione boum, sed plusquam centum, pluribusque hecatombis dignum, approbatos esse: ceterum, quisnam ille creditor, ac inuentor, quodnam ingenium illud fuerit, ex quo haec Minerua prognata sit, hoc difficilius explicatu, quo magis doctissimi quique uiri haesitant, fluctuantque, ac aestuant, ac, si quid hac in parte sciant, hoc unum, se nescire, scire uideantur. Apud Iudaeos quo gloriae auidiorem populum terra uix procreauit, titulum *Rabbi*, id est, Magistri, et Doctoris, paulo ante CHRISTVM natum, constat ortum: atque nescio, an in illorum exemplum tituli honorum in Coetu CHRISTI sacris initiato, nominatim nomina Magistrorum, Prodoctorum, Doctorum, coeperunt institui, ac frequentari. Ac ICtis quidem Bononiae, antiquissima Aemiliae urbe, primum Doctorum titulus delatus fertur, postea uero sententiarum interpretibus, quarum auctor *Petrus Lombardus* memoratur: at, quo, non dicam anno, sed seculo, cum ille, tum reliqui tituli emerserint, in incerto est, cum alii quidem, instituti eius incunabula ad seculum a CHRISTO nato duodecimum, alii autem, ad tertium decimum referenda esse, arbitrentur. Illud uerosimilius, Pontifices Romanos, cum *Decreta* sua, et *Theologiam Scholasticam* cognosci, tenerique in Ecclesia, perinde ac foro, cuperent, titulis, tanquam praemiis, ad perdiscenda, pariter ad docenda Iura sua, traditionesque, quas uocant, cunctos allicere, ac inuitare aggressos. Nam ut communis fert opinio, produxerat paulo ante *Lotharius*, Imperator Rom. huius nominis II, Ius Ciuile ex tenebris in lucem: cuius culturam, ac disciplinam uti impedirent, ut aiunt, Pontifices, *Decretorum*, *Canonumue* suorum Professores honoribus auxerunt. Quo factum est, ut et Augustus Interpretibus Quiritium Iuris priuilegia impertiretur, ac per *Irnerium*, IC. eundemque *Cancellarium*, formulam *Promotionis* praescriberet, et Bononiae primum interpretes Ciuilis Iuris, in his *Bulgarus*, *Hugolinus*, *Martinus*

rinus, *Pileus*, Doctores ſolenniter renunciarentur. Inde ritum creandorum Doctorum, Magiſtrorumque, dimanaſſe ferunt ad Pariſienſis, qui primi creaſſe Doctores Theologos dicuntur, idque in morem, modumque, Bononiae ab *Irnerio*, auſpiciis Imperatoriis praeſcriptum: demum uero ab iis temporibus noſtra ad haec usque tempora laudabiliter propagatum, ac conſeruatum. Quicquid tamen huius rei ſit, non tam percontandum amplius, ſcrutandumue, quo ſiue auctore, ſiue tempore praemia uirtutis Academica exorta ſint, quam gratulandum nobis, quod orta ſint, iure meritoque exiſtimamus. Praeterquam enim, quod illorum recogitatio mentes excelſiores ad quaeuis praeclare gerenda, conandaque, excitet, et commoueat, efficiatque, ut, ſi non in ipſum omnino faſtigium aſſurgant, ad illud certe accedant propius, metamque exoptatam attingant, ſique non ſummum honoris gradum, tamen aliquem olim obtineant: praeterea eximiis priuilegiis, immunitatibus, beneficiiss ſummorum, maximorumque Principum aucta ſunt, et cumulata. Quorum quidem numerum iniri haud ſinit ratio praeſentis inſtituti, et ipſa ſpatii anguſtia id fieri uetat: eoque nihil, niſi id unum memorandum ducimus, quod et ad nos inprimis pertinet, et tempori huic noſtro conuenit, et praedicatione noſtra in notitiam omnium peruenire debet. Fauſtum denuo inaugurationis ſuae diem natalem Academia noſtra, conceſſu Potentisſimi Regis Poloniarum, ac Serenisſimi Principis Electoris Saxoniae, Domini FRIDERICI AVGVSTI, Domini, ac Nutricii Noſtri longe Clementisſimi, proximo die decimo octauo Octobris celebrabit. Nequicquam cedit Indulgentia Regia PATRIS PATRIAE Optimi Indulgentiae MAIORVM Ipſius Glorioſisſimorum. Dedit illa Academiae Rectorem Magnificentisſimum Serenisſimum Principem, ac Dominum, Dominum FRIDERICVM AVGVSTVM, Principem Regium, Electoratus Saxonici Heredem, etc. etc. etc. ſumptus item, in conuiuia Iubilaea faciendos, largiri clementisſime decreuit. Proinde, ſi qui Viri, Iuuenesque Ornatisſimi, nomina ſua inter honorum ſecularium Candidatos hoc tempore profitebuntur, ii ſimul parcius, ſimul glorioſius ſumptum facient, iisdemque beneficiis, quibus ſub auſpicium retro elapſi ſeculi Academici liberalium Candidati artium affecti ſunt, liberaliter benigneque afficientur. Reſtat, ut Viri, ſapientiae, bonarumque artium ſtudiis exculti ueniant, matureque dent nomina, et certamen ineant, et uictoriae, atque induſtriae, uirtutisque praemia, honoresque cumulatisſimos, eosdem in Philoſophia ſummos, a me, brabeuta, ac diribitore, ad hanc panegyrin conſtituto, haud difficulter impetrent, atque conſequantur. Agite itaque, Viri, Iuuenesque Humanisſimi, mercedem capesſite, meritis, uirtutibusque ueſtris dignam, ac me, aequisſimum praemiorum iudicem, et arbitrum, praecipuumque honoris ueſtri fautorem experimini. DEVS, Stator ille, Conſeruatorque literarum, optimarumque artium, ſeruet, et tueatur PATREM PATRIAE longe Clementisſimum, Nutritorem Noſtrum Munificentisſimum: ſeruet RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMVM: ſeruet Inclytam hanc Academiam, et in antiqua ſede ſua ſiſtat, efficiatque, ut, quemadmodum ab illa ſtudiorum parente cum lux emendatae religionis, tum ſplendor renaſcentium literarum latisſime diffuſus, ad omnes cultioris orbis plagas utiliter penetrauit, ita porro, ac in perpetuum, inde eiusmodi uiri ueniant, ac egrediantur, quorum opera, ac miniſterio, cum gloria diuini Nominis, tum honor, decusque literarum augeatur, et indies magis magisque amplificetur! P. P. ipſo ſacro Mariae ſemper Virginis anniuerſario, anno recuperatae gratiae cIↃ IↃ C C II, eodemque altero Academiae ſeculari.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0125-4 DFG

XXVII

IO. GVILELMI BERGERI,

Poes. Prof. Publ. et hoc tempore Ordinis Philos. Decani,

CARMEN SAECVLARE,

In solemni celebritate inaugurandi et renunciandi duos supra centum Doctores sapientiae atque ingenuarum artium

In templo, quod arci coniunctum est, festo sacroque ritu dictum,

XIII. KL. NOVEMBREIS

A. R. G.

∞ Iɔc. cII

PANEGYRICVS SAECVLARIS

QVem tacitis populi uotis precibusque petebas,
Vidisti, Viteberga, diem, uenerataque sacram,
Qua nihil est maius, reuoluto tempore, lucem,
Altera diuinae celebrasti saecula sedis.
Vltima nascentis reuocasti fata Lycei,
Augusti spatium templi stipante caterua
Hic, ubi bis centum iam flauescentia culmis
Messibus aestiuae secuerunt Gargara falces.
Quisquis ades, lustrasti oculis, quae nemo priorum
Viderat, audistique comes, quae reddita nostrum
Audierit nemo. fugit heu! et uoluitur aetas,
Et fugimus miseri, cineri miscendus auito
Puluis. adorando placidis pro munere gratus,
Quo stitit incolumem coeli clementia Pindum,
Sic uotum Superis ciuis persoluit, et hospes.

Huc ades, o ciuis. te quaesumus, aduena, siste,
Siste gradum nobis, haec quisquis templa frequentas.
Hic postrema tibi laudis spectacula Phoebus
Exhibet, et memori parat exornata Mineruae
Praemia, delectisque amplos meditatur honores
Ingeniis, quos una semel conspexerit aetas,
Nec nisi longa dies uoluentibus afferat annis.
Cernis, ut expandat celsae Parnassia rupis
Valuula, quam frustra, claustro prohibente, lacessat
Centimanus Briareus, lucos et amoena uireta
Fortunatorum nemorum! quot laurus opaca
Offerat in festas, uiridanti fronde, coronas
Auricomos foetus! calathis halantia plenis
Serta quot, Aoniis passim suspensa lacertis,
Virgine quae cingant uictricia tempora lauro,
Per iuga felici circumferat omine culta
Pieris, et donis Phoebëia iussa requirat.
Audis, an nostras deludit amabilis aureis
Pieriusque calor? celeres resonantia neruos
Fila, quibus bifidi quatiuntur culmina collis,
Et noua concelebrat conspirans gaudia Pindus?
Insolitas dedit ipse suis in carmina uireis
Indigenis, motaeque acri praecordia sensu
Laetitiae tactus, cithara, qua concita fundo

Saxa

Saxa nemusque trahit, praeſes proludit Apollo.
Pegaſei pleno prorumpunt gurgite fontes
Caſtalidum latices, et uiuis turgida riuis
Flumina praecipitant, quae gens Heliconia laeto
Ore bibit, uenasque, Deo ſtimulante, caleſcit.
Haec eſt illa dies, qua lux non ulla refulſit
Pulcrior, inſigni qua uirtus gaudet honore,
Et uirtute ſuperbit honos, qua publica dextris
Res ouat auſpiciis, et ſpe meliore triumphat
Relligio, carae laetata ſalute parentis.
Ipſe cruentatis dum Mauors fulminat armis,
Sentit reſpiciens lucem, ueritusque ſacratum
Tempus, inexpletas ſedatus temperat iras,
Et poſita exutos miteſcit caſide uultus.

O, quicunque faues noſtrae non immemor urbi,
Quae tibi doctrinae latisſima flumina pandit,
Europes infuſa ſinus, transgreſſaque longos
Teutoniae fineis, et uitae pura fluenta:
Hoc, quaeſo, gratare bonum, ſinceraque noſtris
Gaudia permiſce, diuinaque munera lauda.
Tuque tuum, tu noſce bonum, Viteberga, memorque
Coeleſtis meriti, quo tanta pericula ſoſpes
Exuperas, fatisque manes inuicta malignis,
Ore, manu, toto collauda pectore magni
Numinis auxilium, meritasque exoluere grateis
Elatis propera palmis, ſeruataque plaude.
Nunc mihi ſi centum linguis centum ora ſonarent,
Quo pius aethereas centeno gutture laudes
Eloquar, et ſtudio gratae memorabile mentis
Exemplum ſtatuam. ſed, quicquid dixero, tantis
Promeritis minus eſt. quantum facundia poſſit,
Tentarunt alii melius. mihi denique reſtat
Mirari. tu, diua, mone, quod dicere uates
Inſtituo, Superum tandem quae tanta uoluntas
Hanc foueat ſedem, quantisque auctoribus illam
Defendat, ſaluamque uelit, dum primitus orſa,
Bis decies denos annorum conficit orbeis.
An tantum potuit coeli meruiſſe fauorem
Hic locus, inuiſus multis, nullisque ſuperbis
Arcibus illuſtris, Pario nec marmore cultus?
Quem quondam raris habitata mapalia tectis,
Depreſſaeque caſae complent, nec poſtera cura,
Quicquid agat, quicquid ueteris ſubducere tendat
Simplicitatis opus, tantum prouexit honoris,
Quin aliis referat collatus turribus umbram.

Deſpiciens alti ſummo Rex magnus Olympi
Aethere ſubiectos populos, terrasque iacenteis,
Luſtrabat mores hominum, diuerſaque latis
Facta recenſebat terris, uitamque notabat.
Hac deſerta ſiti Libyae circumſpicit arua,
Aequataeque ſolo Carthaginis, aemula Romae,
Moenia, disiectasque Auſtris, miracula Memphis,
Pyramidum moleis. humeris qua coelifer Atlas
Sideream fulcit ſedem, qua Nilus inundat
Pinguis agros, furiis animos agitantibus, auctas
Collucere uidet Diris dominantibus aras,
Diuinoque coli ritu genus omne ferarum.
Illac excultae florentia regna tuetur
Arduus Europes, Italae qua gloria gentis
Oppreſſas reuocat magnis conatibus arteis,
Qua ſimilis flagrat decoris ſuccenſus amore
Gallus, et edoctus didicit componere mentem
Teuto, nec in mediis doctrinam deſerit armis.
Ingeniis aperitur iter: quod comprobat. omnem
Barbariem mollit ſtudium. tot Palladis aedeis,
Totque ſacerdotes, et eos aſpectat amicus,
Quos Tiber, atque Timauus alit, Ligeriſque, potensque

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0127-5 DFG

Sequana, quos fluuius Nicri sibi seruat et Istri.
Est studiis seruatus honos, sed mersa tenebris,
Et neglecta iacet pietas, nec quaeritur ulli.
Itur in omne nefas uitiis. praeferre caduca
Aeternis homines gaudent, spretoque uereri
Numine mortaleis artus. corrumpere saeclum
Corrumpique uocant, et coelum uenditur auro.
Vidit, et indignans, diuum Pater atque hominum Rex,
Auertitque oculos, et aquarum mole sonantem
Torsit ad Euphratem, rapidumque uorágine Tigrin.
Occurrunt ueteris Babylonis moenia, coctis
Non qualem muris cinxisse Semiramis urbem
Dicitur, et uicit Macedo, sed inanis aceruus
Ruderis. hic repetens cineres damnauit auitos.
Parte alia lectae quondam sibi conspicit urbis
Relliquias, uulsis et saxis diruta saxa,
Nec nisi congeriem lapidum, lacerumque cadauer.
Indoluit fato, secumque insistere coepit:
Tu quondam regnata mihi, regnataque tantis
Regibus, in tenuem fato conuersa fauillam,
Alitibus liquere feris, stabula alta ferarum.
Omnis et absumptus fatali disperit igne
Hic labor, euersae qui moenia suscitat urbis,
Instauratque graueis ferroque manuque ruinas.
Quo uesana ruis? cur nostras improba leges
Temnis? ni faceres uictrix regina maneres.
His erat, his adytis aeternus conditus ignis,
Hic erat arca, meo possessaque numine tecta,
Hic erat exoptata Sion. concussus acerbo
Afficior casu. me lamentabile fatum
Tangit, inexhausti quantum memor ira lacessit
Delicti Nemesin. sed enim deserta iacebis,
Exemplumque grauis poenae, quam nescia recti
Culpa dedit quondam. procul hinc, procul ibo, meisque
Numinibus quaeram recidiuae templa Sionis.
Et quaeram? quidni mihi sint iam parta? dicatos
Aut cur non uideo ritus? quis fraudat honore
Relligionis opus? mea quis mihi sacra negauit?
Heu genus inuisum! quod sanctas polluis aedeis
Improbitate tua. sceleratis exeo terris,
Exeo polluta cultu regione nefando,
Et quos non potui castos exquirere mores
Vsquam terrarum, longas transgressus ad oras,
Sancio, quamque colam praesenti Numine, noctem
Vt queat effuso dispellere lumine, caecis
Offusam populis, delectam quaero Siona.
Affluat ingeniis respublica? culta nitescat
Lingua profanorum? nullis elata resurgat
E tenebris pietas opibus? mihi displicet. illud
Non patiar. tersas reuocaui sordibus arteis,
Quas purgata breui pietas, et sacra sequantur.

Sic ait, et nutu trepidantem motat Olympum,
Et rursus patuli spatium circumspicit orbis,
Donec Saxonicis aduertat tractibus ora,
Miranti similis. rursum nonnulla parabat
Dicere, ni lacrymis iam iam praegestiat ortis
(Vsque adeo sensu laetatur, et intima mente
Gaudia non capit) Eusebie, quae dicta, rogare.
O ueneranda mihi diuumque hominumque potestas,
Da ueniam uerbis, quae nulla audacia promit,
Sed dolor, et magnum consolatura dolorem
Tam tua, regnator, bonitas, quam gratia summa.
Tune mihi sanctae iuga reddes celsa Sionis?
Tu noua moliris Solymorum moenia? sanctis
Instaurata locis? ubi pleno numine sanctus
Consideas, nomenque tuum, laudesque propages.
En! pater, exul ago, longis erroribus acta.
Quippe fugor terris. profugam ni sidera seruent,
Defendasque tuis, casus miseratus iniquos,
Auspi-

Auſpiciis, peream dudum, tumuloque ſepulta
Obruar, et iaceam uix cognita nomine fama.
Et nunc ſtructa uidet ſibi paſſim ſurgere templa
Pallas. non equidem inuideo, magis ipſaque laetor,
Quod natiua uelint homines oracula noſſe,
Qua ſint dicta fide. ſino praeceſſiſſe Mineruam,
Et Sophien praeire ſino. uult utraque mentem
Informare bonam. ſed enim, quod comprecor, hoc eſt.
Aſſertas repeto ſedeis, atque opto redire,
Vnde eiecta uagor. Stygias adigatur ad umbras
Hac ultrice, peto, dextra communis Erinnys.
Ne mihi, ne iraſcare, pater: ſi quaeris, ad illas,
Quas Federicus arat Saxo, contendere terras,
Te mandante, uolo, ſiquem mihi dicere fas eſt.
Hic eſt, quem Sophie tenero formauit ab ungui,
Vberibusque aluit nutrix, quem fama celebrat
Incluta uirtutis, Sapientis nomine clarum.
Hic eſt iratus ſceleri, uindexque ſeuerus
Iuſtitiae, fautorque boni. promittere quantum
Auſim, ſi quosdam, quibus eſt imbutus ab aeuo,
Detrahat errores mea diſciplina ſequaci.
Praecipe, quod placitum. ſequor, et tua iuſſa capeſſo
Promta. mihi ſat erit promiſſae cura Sionis.

Dixerat. aſt olli Superum Rex talia fatur:
Ignoſco dudum mihi noto, gnata, dolori,
Nec tibi, quod gaudes, indignor. tanta mereris
Gaudia, ſera licet, tantis exercita fatis,
Et grauibus iactata malis. extorris, et exul,
His laribusque, focisque procul, uaga tranſigis aeuum.
Cunctus ob hos mores terrarum claditur orbis,
Quos tolerare nequis. uidi male facta profanae
Telluris, uidique ſcelus. cur fulmina dextra
Torqueo, nec quaſſas, excuſſo fulmine, moles
His adigo uindex umbris, Ereboque profundo?
Sed bonitas iram ſubigit, miſeretque creati,
Quamlibet infidi, generis. quin iſta remitto.
Mitis agam. mitis parcam. ſtat ſancta Sionis
Condere templa mihi. ſtat pingui lampade clara
His occaecatis accendere lumina terris.
Huc ego trans Alpeis, Latium quod ſeruat et Hellas,
Ingenii decus omne feram, quas inuenit arteis
Mens hominum, arceſſam. cultus quae poſſidet orbis
Ornamenta, ſimul cogam, tibi cunctaque ſubdam,
Quo maiore tuus ſplendeſcat ſidere fulgor.
Has tibi reſtituam ſedeis, propriasque dicabo.
Do, quod uis, quia do, tacito quod corde uolebam.
Do tibi Saxonicos fineis, almosque penates
Saxonis. optatum Federici dono leuamen.
Praecurris precibus, tibi quae decreuimus ultro,
Et dicenda mihi dicis. cum Saxonis oras
Hoſpitiumque rogas, en! Saxona cerno precantem,
Tuque uides. manibus ſupplex orare ſupinis
Vt ſtudet, et toto proſtratus corpore tendit!
Spectas ora uiri? coelum quibus inſonat altum,
Audis uota? uides, quem tantis deſtino rebus,
Necdum commonitus, tibi quem concedo roganti.
Hic uir, hic eſt, animi quem magnis dotibus orno,
Praelatumque uolo reliquis, ditoque metalli
Pondere, ſecturisque nouis, cui pinguia pacis

Otia concilio, et cunctis uenerabile nomen
Gentibus, et magno quem firmo numine carum.
Hic erit ille, uetus quem iactat fama futurum,
Qui ſacra reſtituat Federicus uindice dextra,
Barbaricis exuta iugis, aſſertaque buſta.
Nomen et omen habet, quod debet habere ſecundum
Conditor en! templi, quo pax diuina quieſcat,
Vndeque pax animis, longum ſpargenda per orbem,
Prodeat extremos ultra Garamantas et Indos.
Ne tamen ignores, prius eſt leganda, magiſtra
Doctrinae, Sophie, quae incultas artibus olim
Erudiat menteis, ſopitosque excitet igneis
Ingenii, et rectae rationis percolat uſum.
Poſt ubi trina dies exegerit ordine luſtra,
Succedes, plenis arceis inuecta triumphis,
Et debellatis fataleis hoſtibus aras,
Infeſtanda metu, non debellanda, tenebis.

Euſebie dictis felix, uotoque potita,
Ibat ouans animis, et ſpe ſua damna leuabat.
At Pater, ad Sophien conuerſus, talibus infit:
Vade, age, gnata, polo Zephyris deſcende uocatis,
Et repetita tui Federici limina uiſe,
Qui nunc Saxonicae flectit ditionis habenas.
Alloquere, et celeres defer mea dicta per auras.
Sic uolo, ſic iubeo: creſcant felicibus artes
Auctibus, et bona mens haec incrementa ſequatur.
Muſa feros mores emolliat. ipſe receptas
Hoſpitio foueat Muſas, exempla ſecutus
Notorum procerum, conſultaque publica, Caeſar
Quae facit, et nuper, coelo inſpirante, probauit.
Augurio Superum florenteis condat Athenas,
Candidulus collis placido qua ſtringitur Albi.
Molior hic aliquid. maius quid molior, ille
Ac putet, aut quisquam ſperet. neſcire laboret,
Quae perfecta breui fatorum arcana uidebit.
Pareat. exiſtent, nec neſcio, tendere contra
Qui ſtudeant. caueat, dubitet, neu dicta recuſet.
Contemtus, fateor, locus eſt. Capitolia nulla
Hic uideas, nullas ſolido de marmore turreis.
Sed mihi parua lego, quo magna potentia diuum
Efferat haec ultra uotum, cumulataque reddat.
Albentes fuerint montes, proruptus in omneis
E quibus effundat terras ſua brachia riuus,
Et uitam mentemque riget ſanantibus undis.
Haec erit illa domus, Superis habitanda, remotis
Et populis adeunda breui, quam nulla reuellat
Vis Erebi, cuius defenſos Numine poſteis
Non ferramentis, emoto cardine, frangat.
Illum delati faſces, Latiaeque ſecures,
Quas pridem meritus, uirtute monente, repoſcent
Imperio magno, et cunctis praeponere tendent.
Tu maius promitte decus, quod conditor huius
Suſcipiat ſedis. cum prolis ceſſerit expers,
Saecula quae ſuperet, ſeruabit filia uiuum.
Haec memora, dubiumque urge, dum iuſſa faceſſat.

Dixerat. illa Patri gaudet parere, nec usquam
Accelerans haeret, plauſu comitante Deorum.
Eſt locus, excelſo ſublimis uertice, longos
Proſpiciens tractus. quem denſis frondibus atrum

Vr-

Vrget utrinque latus nemoris, quemque ardua pinus,
Annosaeque tegunt orni, multumque minantes
In coelum quercus. iuga qua decliuia saltu
Deprimit auerso, cliuoso tramite uiteis
Pampinus, et foetis ostentat messibus uuas.
Parte alia flauo radices alluit amne
Albis, et eiectas spumans aduoluit arenas.
Huc subeunt glaucae, ducuntque frequente choreas
Naiades coetu, defensae montis opaci
Vmbra, commistaeque choris siluestria ludunt
Oreades. pater ipse, sua digressus ab urna,
Albis, saepe leui fessus procumbit in umbra,
Et posita carpit proiectus arundine somnos.
Hoc primum coelo dea, culmine lapsa, resistit.
Continuo: salue mihi fato debita tellus.
Saluete, o crebro repetenda cacumina gressu
Leucoridum posthinc, Musis et Apolline laeta.
Hinc et ab illato deduxit Apolline nomen
Secessus, retinetque memor, quem diua sacrauit.
Dixit, et aetheream proflauit naribus auram,
Cuius odorato Zephyro, quae roris Eoi
Destillant lacrymae, cedunt, Panchaeaque tura.
Annua placantur spirantes frigora Cauri
Tum subito, et parcunt hybernis flatibus Euri,
Quos uocat Autumnus, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arua citi. qua glebas imbuit aether,
Parturit almus ager, foliis, quae frigus adusit,
Excussis, uiridi frondescit cespite silua,
Effusas renouata comas, uirgultaque ramos
Floribus expingunt, herbosaque gramine laeto
Vestit humus ualleis. quam postera demetit aetas,
Non sata maturo consurgit uinea foetu.
Ver erat, Autumnusque ferax. uer prata calore
Mulcebat, frondeisque dabat. dabat alter opimas
Messeis, tempestasque noua distracta coibat
Lege. leues Satyri, et nymphae mirantur agrestes.
Hinc dea festinans, qua uisae moenia surgunt
Leucoridos, petit, et siccum sitientis arenae
Tendit iter. quacunque meat, mirabile dictu,
Effoetae male pinguis humi sabulosaque tellus
Prata ferit, uarioque parit distincta colore
Pallenteis uiolas, et candida lilia pleno
Vbere, narcissum, et culmos bene olentis anethi,
Et tot, quos taceo, natos sine semine flores.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, et dono diuum gratissima serpit:
Cum dea Leucoreis laetans se moenibus infert.
Nec mora. quae prope sunt, summas contendit ad arceis.
Effultus croceis stratis, ostroque recumbens,
Compositos placido somno laxauerat artus,
Lassatusque labore uiae, quo nuper Eoum
Lustrarat tumulum, Federicus membra fouebat.
Quem dea conspectum dictis affatur amicis.
Gnate, Deo dilecte, memor quem proferet aeuum
Virtutis celebris, dum coelum sidera pascet.
Gnate, quod expectare nequis, delecte futuris
Auspiciis praeses: non te compello monendum,
Vt soleo, uitae rectrix. maioribus adsum
Imperiis instructa, tibi quae nunciat aether.
Hoc Deus, hoc mandat: Musas dignare paratis
Hospitiis, curaque tua tutare receptas.
Sunt Musae superis curae. noua templa receptis
Aedifica, late totum memoranda per orbem.
Leucoreis tanti seruata est gloria coepti
Moenibus. aspicies, alio qui flectere mentem
Ausint. sed caueas, fiant contraria iussis.
Ne uilem ne temne locum. quem spreueris, audi,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0131-7 DFG

Praesentem, mihi crede, locum non meta laboris
Herculei capiat, nec terminet ultima Thule,
Nec quae, nota Diis, iacet extra sidera tellus.
Ibit, et hoc fari iubeor, quod mente reponas,
Ex hoc monte capax salientibus alueus undis,
Amne salutari uitam mentemque rigante.
Haec, custode polo, conuellere claustra ualebunt
Non Erebi uectes, non Orci immania tela.
Ne diffide pius, fatum ne quaere doceri,
Quod nihil explores, nisi cum patefecerit aetas,
Illa breuis, spectanda tibi, memorabilis aeuo.
Ecquis opus speret, Deus huic quod destinat urbi?
Morte triumphata, tibi reddet filia uitam.

Dixerat, et tenueis refugit, ceu fumus, in auras.
At tanta motus Federicus imagine matris,
Et uigil, elapsa iam iam genetrice, corusca
Collucere uidet plena laquearia luce.
Miratur monitum, atque haec secum corde uolutat.
Estne mihi, quod cerno, an fallor imagine mentis,
Quam mihi confingunt, insomni nocte, sopores?
Est ea, quid dubitem? facies genetricis. eratne
Os humerosque deae similis? mihi cognita uox est
Illa deae. noui uultus oculosque flagranteis.
Et locus hic diuae, uidi stupefactus, et ille,
His oculis cerno, radianti sidere fulsit.
Ecquae iussa tulit diuinae nuncia mentis?
Largiar hospitium Musis. his iura domosque
Iamdudum dare constituo. sed Leucoris illud
Accipiat templum? steriles dominentur arenae,
Exiguaeque casae? quis opertis stramine tectis
Audeat augustas Heliconis credere sedeis.
Sed tamen admoneor, mandataque seria disco,
Ne sequar, hanc quisquis temnens dissuaserit urbem,
Neu timidus spernam. nondum, quid sentiat alter,
Scire queo. sed quis ualde hac se iactet in aula?
Hinc tamen emanans per terras exeat amnis,
Qui uitam et mentem purgantibus abluat undis.
Hic surgat munita domus, quam nulla profundi
Vis Erebi, nullum conquasset robore robur,
Quae mihi promittat laudem, uitamque perennem.
Ecquid agam? dictis, fateor, quae caussa mouendi?
Commoueor penitus. tibi pareo, summa potestas,
Quoque iubes coelo, felici colloco templum
Augurio Musis, nec fati arcana requiro.

Haec secum. interea surgens aurora reliquit
Tithoni croceum, dimota nocte, cubile.
Consurgit thalamo Princeps, et iussa capessens,
Conciliumque uocat patrum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli conuenere. sedet Princeps, et talibus infit.
Vos uolo, quos nisi nox teneat transacta, uidere
Iamdudum uellem. uellem uos uisa docere,
Quae me suspendunt dubium. dum fessa quiesco
Membra toro stratus, Sophies apparet imago.
Agnosco uultus genetricis, et audio uerba,
Quae tulit interpres diuum. noua condere templa
Hic iubeor Musis. hoc quis dignetur honore,
Commendetue locum? nec ego non talia miror
Iussa. sed ex illo, cecinit mihi diua creatrix,
Manabit fluuius, late diffusus in Orbem,
Qui uitam mentemque lauet sanantibus undis.
Hic mihi promittit sedem, quae cuncta retundat

Tela

Tela Erebi, famaque ſui peruadat, utrumque
Qua ſol aſpectat pelagus. mihi nobile nomen,
Nec mortale decus, ſpondet, dicitque parari
Hic opus, hic auguſtum, ingens, quod credere quisquam
Non queat. aſpiciam quondam tamen. ipſe Camenis,
Quas amo, quas foueo, ceu uos meminiſſe poteſtis,
Iamdudum alternans decretas molior aedeis,
Exemplo motus procerum. quo frater adurget
Ianus, et Erneſtum Raymundus permouet auctor,
Staupitiusque pater. quo me trahit ipſa uoluptas,
Infixumque animo ſtudium. locus ipſe probatis
Obfuerit forſan coeptis? quae dicere quisquam
Hic queat, et memini. ſed quis coeleſte recuſans
Abnuat imperium? quae ſit ſententia uobis,
Dicite. rem tenuem quis tandem dixerit illam?
Fatus, et ad illum conuertens ora, rogauit
Inſigni pietate uirum, quo doctior alter
Non erat, acceptusque magis, fidusque periclis.
Te, Martine, loquar, te commemorabo, Polichi,
Quantus, quantus eras, Muſis optatus, Eoi
Qui fueras curſus nusquam diuulſus Achates,
Aeneaeque tui multum dilectus Iapyx.
Vna ſalus, et certa uiro, cum Gnoſia uiſens
Regna, petit calido ſudanteis flumine Baias.
Aetatis decus omne tuae, praeluſtreque ſidus
Terrarum, proprio quam laudem nomine quaerit
Mens diuina capaxque tibi. quae ſingula magnum
Vix capit ingenium, tu uaſta cuncta recondens
Mente tenes, triplici praecellens ordine doctor.

Atque hic demiſſo uultu ſic ora reſoluit.

Mallem equidem reliquos patrum dixiſſe priores,
Quam mihi dicendum. non iſta ſuperbia mentem
Occupat, ut reliquis cupiam ratione uideri
Praelatus. memini, quam ſit mihi curta ſupellex.
Es monitus ſuperis. ſuperis quis credere nolit?
Quisue minus parere uelit? ſanctiſſima Muſis
Templa pares. mores hominum, uitamque ferocem,
Mitigat et lenit ſtudium. bella, aſpera bella,
Thracum more, fremit, quem nil poliere Camenae.
Flagitat hanc mens ſana domum, non illa talenta
Argentique aurique grauis. quem exoptet Apollo,
Hic ſapiens Federicus erit. ſapientia tanti
Principis, attonitum late dilata per orbem,
Hoc ſibi poſcit opus, nulli delebile ſaeclo.
Fac, age, quod ſuperis placitum. res illa nepotes
Non tantum deceat, quantum te. cuncta ſequentur
Omina, quas ſapiens ſtudiis fundaueris, arceis.
Has ubi conſtituas? quisquam dubitauerit. eſto.
Multa, nec ignoro, multis exculta gubernas
Arua locis, multis decoratas arcibus urbeis.
Sed, tibi quod uiſum eſt, meliori perfice fato
Leucoridos ſtudio. ſtipulis crepitantia tecta
Deſpiciat faſtus. fuit haec ab origine prima
Leucoris, unde decus, reliquo praeſtantius omni,
Maiores retulere tui. uenerare ſacratas
Relliquias cinerum, et maneis uenerare ſepultos,
Regificis templis. urbi, quod protulit olim,
Seruauitque diu, necdum tibi perdidit, aequum
Gratus redde decus, quod Muſae augeſcat honore.
Hic erit, hic Pindus, ſi quid mens augurat, omnis
Teutonici parefacta ſoli qui ſole Lycea
Obſcuret, reduci ceu Phoebus ſidere Phoeben.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0133-8 DFG

Finiit. at reliqui, quos tanta potentia fandi
Et grauitas mouit, concordi murmure dictis
Assensere. secus si quisquam pectore uersat,
Non tamen hic quisquam contendere territus audet.
Accipio, Federicus ait, laetissimus omen,
Quamque domum fundo, Numen coeleste secundet.
Haec ubi dicta dedit, solio consurgit ab alto:
Consurgunt patres. it Princeps, omnia lustrans,
Designatque oculis magno molimine sedeis,
Optatas operi. haec, haec primo templa labore,
Exiguum quondam spatium, paruumque sacellum,
Excitat, et celso suspendit fornice molem.
Ab Ioua auspicium uestrum, Iouae omnia plena,
Leucorides: quae non posthac fortuna sequetur?
Stabat opus, stabant exacti mole labores.
Instabant precibus fratres, Raymundus, et illa
Auctoris pietas adiutorisque Polichi.
Tot grauibus uictus monitis, pulsata ciente
Corda Deo, Princeps primos attollere fasceis
Martinum statuit, quosque alta mente uolutat,
Sacrandi Pindi festos indicit honores,
Inuitans aliunde uiros, et munere ditans.

Interea Alecto, Stygia quae missa palude,
Regnabat late, domitas bacchata per urbeis,
Coepta uidet. gelidos pallescens contremit artus,
Praesagitque malum. quid agat? quo denique uertat
Insidias, arteisque suas? quod operta ministret
Consilium? conata ferox Acheronta mouere,
Immittit furias aulae, quae fallere blanda
Ausa sciant specie, et mentem frustrentur herilem.
Despicit haec urbem, sumtus exaggerat illa,
Cetera praetereo, quae promunt ora maligna,
Ne coeptum absoluatur opus, quod praeparat heros.
Iamque dies aderat, quae sacram proxima lucem
Anteit. acciti concurrunt undique ciues,
Et plenis stipata uiis procerumque ducumque
Turba fluit, facto summi miscentur et imi
Agmine, suspensique expectant gaudia sacra.
Vrget propositum Princeps, nusquamque mouetur.
Heu quid agat? quo se furialis conferat umbra?
Confictam Sophies formam assimulata, citato
Contendit gressu ad fulgentem Principis aulam,
Et simulans solita compellat uoce iacentem.
Ergo, gnate, tibi quae sunt mandata, dedisti
Hoc effecta loco. stant aedes, stantque parata
Templa mihi, Musisque meis. nec plura requiro.
Sat superisque, mihique, datum. ne plura labores,
Sudans, heu nimium sudans. sed, gnate, remittor,
Te monitura mali, quod uestris imminet oris.
Bella gerenda tibi, multo constantia sumtu.
Arma uiris facienda tuis, et miles alendus
Aere graui. doleo. sed tu circumspice uireis.
Audaces fortuna iuuat. iam publica priuis
Praetuleris. differ curam spatiumque dicandi.
Non haec conueniunt formandis tempora Musis,
Quae sibi quanta, uides, inopes aeraria poscant.
Has alias ditare decet. nunc consule regno.
Ne uideare tibi uanum sumsisse laborem.
Haud operam ludis. multis haec usibus usum
Praestant templa, parata tibi. nec plura locuta,
Elusos abiens somnos leuis effugit umbra.

Tantarum Princeps perculsus imagine rerum,
Multa putat secum. nunc haec contraria iussa

Mira

Miratur, nunc illa timet fatalia bella.
Iamque legit iuuenes pugnae, iam pectore castra
Metatur, placidam nec praestat cura quietem.
Poenitet incoepti. desistit, et abiicit omnem
Mutatus penitus curam, mentemque remittit.
Hac uice curarum roseis aurora quadrigis
Iam medium aethereo cursu traiecerat axem.
Turba ruit tectis effusa, fenestra patescit.
It nigrum uicis agmen, spectacula quaerit,
Tot cupidis inhians animis: cum seria Princeps
Iussa dat, atque scholae differt natalia sacra.
Obstupuere omnes mutatae nomine mentis,
Ipsaque, quae Pindo duxit comitante Camenas,
Obstupuit fama Sophie, fraudemque subesse
Credidit. accedit manifesto lumine limen
Principis, et tali castigat uoce morantem.
Quas tibi, gnate, moras nectis? quo numine tardas?
Anne uides, quantis omnes, procedere pompam,
Exposcant studiis? ne plus cunctare. uocatus
Pindus adest mecum. uotas felicibus aedeis
Auguriis sacra. temnis coelestia iussa?
Hoc uelit, hoc optet, coeptis infensus Auernus,
Et damni metuens. noli differre, quod aequus
Vultque probatque polus. fors fortia facta rependit.

Tantum oculos effata fugit, trepidique relinquit
Ora uiri, quali fallatur uoce, uidentis.
Tollite cuncta, inquit, iussusque auferte priores.
Tollite, quicquid obest, coeptis iuuat addere finem.
Ocyus instructae deducit publica pompae
Agmina, quoque loquor, templi progressus apertis
Inducit foribus, quaque his procumbit in aris
Relligione, Deum positas ueneratur ad aras.
En tibi, sancte Pater, quod mandas, dedico templum!
En tibi, quae ueneror, supplex altaria sacro!
Has uoueo Musis quondam, et nunc consecro, sedeis.
Respicias oculis placidis, atque omina coelo
Dextra feras. dixit, praesentis et ora Polichi
Sacratis statuit rostris, primumque regenteis
Purpureo uelans humeros incingit amictu,
Imponens chlamyden, summamque et iura regendi.
Hinc geminas tollit laetus traditque secureis,
Imperii rata signa noui, uotoque perorat.
Crescite uirtutes, foecundaque floreat aetas
Ingeniis. maneat sedes inuicta periclis,
Dum natura manet. qua sol oriturque caditque,
Prodat, et immenso describat limite, nomen.
Definit, et festis acclamant uocibus omnes,
Laetitiaque fremit templum, coelumque remugit.
Applaudens subito liquidis exultat in undis
Albis, et insolito fluctu turgescit Elyster.

O Princeps animi praestans felicibus ausis!
Te iactat Viteberga suum, te, magne, parentem,
Herculeis cuius pugnis, uelut ungue leonem,
Heroas perdiscit auos leuis accola Nili.
Qui tribus Augustis, quos non tantum adiuuat alter,
In primis coleris, magnamque uicarius Orbis
Rector agis nauem trinus, clauumque gubernas.
Tu poteras magnis Germanum uiribus Atlas
Suffectus fulcire polum, ni sceptra superba,
Scit Moenus, Carolo malles concedere Belgae.
Ad tumulum festino tuum. sed et illa Lutheri,
Illaque me retinet spirantis imago Philippi.
Virbius Elias en! uultu fulgurat acri.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0135-9 DFG

Statque tonans rostris. exaudio iacta tonantis
Fulmina. quam sacris ardescunt ignibus ora!
Vulnera commonstrat Christi. quantum instar in ipso est!
E regione grauis stat longa ueste sacerdos,
Complexus manibus librum. ni fallimur, arma
Haec sunt barbariae uictae. quanta enitet ore,
Quanta Charis suaui! quantum designat acumen
Frons intenta uiri! uigilatae qualia noctis
Collapsas pauere genas conata Philippi!
Sacratos uereor uultus. ciet insita tactos
Relligio sensus, concussaque pectora pulsat.
O quantum, Martine, tibi, quantumque, Philippe,
Ni male nos memores simus, debebimus. ultor
Eusebies alter, Sophies memoraberis alter.
Quicquid erit, debere ultro, Federice, fatemur
Nos tibi, qui largis meritis utrumque fouebas.
Ad marmor consisto tuum, carmenque repono:
Sit tibi terra leuis, Phoebeae conditor arcis,
Sit tua, quam colimus, contermina gloria saeclis.

Nec uos praetereo tutantia Numina Pindi,
Quos memores animant fasti, gratisque celebrat
Leucoris altores studiis, et Pindus adorat.
Tu primus dicendus eris, fortissime Iane,
Aeternum cui sancta parit constantia nomen.
Infectus te caede Padus miratur, et Ister,
Et Lupiae norunt fontes. Germania tota
Victricis meminit dextrae. meminere Nemetes
Fortis et inuictae mentis, quosque acer adibas,
Vindelici uidere, pius quod suspicit orbis.
Diceris, et pater es patriae, cultaeque patronus
Doctrinae, fraterni animi regnique probatus
Successor, Musis nostris uenerabile nomen.

O sancti cineres tanti saluete parentis!
Parnassus uoluit uobis hoc ponere marmor,
Sed uobis maiora animo monimenta dicamus.

Te pie nunc, te, Iane, loquor, Federice. quod illis,
Illis, hoc gemimus, fatum complexibus aufert
Leucorides tanta ditantem dote parentem?
Tu nostram eductis incingis Oreada clausam
Aggeribus. Musis largo stipendia sumtu
Digeris, exaequans meritis, templumque, quod hic est,
Munificus donas. quamquam te tristia fata
Eripiunt nobis, et condita suscipit Ilmus
Ossa, tamen memores sensus seruauerit Albis.

Ecquis te tacitum, Mauriti magne, relinquat?
Tu Thracum, tu terror eras, cladesque Getarum.
Te Mosa pugnantem stupuit fulgentibus armis.
Vndecies uictrix obiit tua tempora laurus.
Confessus statuis sacros, trigamque Scholarum,
Quantum opus! insigni fundasti munere Musis.
Tu disturbatos belli terrore colonos
E latebris reuocas, et lapsas molibus arceis
Instauras, condisque nouas. te Leucoris almum
Grata uocat patrem, profugas qui pace sorores
Solatus recreas, atque haec in tecta reducis.

Iam tibi sublimem precer hic, Auguste, Maronem,
Quem Gallus timuit, quem gaudens caede Sicamber,
Bellantem fratris comitem. te dicere fratrem
Caesar amat, gnatoque patrem laudare Rodolpho.
Te uocat imperium, procerum laudante corona,
Corque suum, dextramque manum, lumenque coruscum.

Sed

Sed quisnam eloquitur uatum, quo iure labores
Saxonicum ſtabilire forum, qua aſſerta leuaris
Sacra fide, quantis excellas artibus unus,
Et quibus haec cumules donis aeraria numum?

Nec minor haec fuerit ſpes, quam, Chriſtiane, dediſti,
Ni tantum te fata uelint oſtendere terris.
Tuque recognoſcis ludos, uiſisque tribunal:
Antiquos recipit, te iudice, curia mores.
Quo maiora ſibi de te promiſit, acerba
Hoc magis illacrymans doluit tua funera Pindus.

Iunior haec, Chriſtiane, doles aetate tenella,
Sed quantus Gulielmus erat tibi tutor et auctor!
Alcides hydram caedis, quam miſerat Orcus,
Lernaeam. cui dicta ſatis prudentia tanti
Principis, et conſtans animus, profuſaque fandi
Copia? Caeſareos cuius prudentia fratres
Conciliat. pacis ſtudium tibi plura parauit,
Quam graue Martis opus reliquis. te, diue, perenneis
Leucoris in faſtos retulit, laudatque benignum.

Quid toga, quidue ſagum celebrabit, Iane Georgi,
Quin habeas, cuius ſibi poſcant facta uolumen.
Te colit Auguſtus Matthias, teque ueretur
Fernandus Caeſar, Dreſdae uiſendus uterque.
Quid ualeas bello, nouit Boiemia, nouit
Lipſia, Lucenumque uidet, uiſumque renarrat.
Heu, patriae tellus, quantis uaſtata ruinis,
Et perculſa iaces! quantis te uindicat heros
Viribus! et quanto tibi leges ordine reddit!
Quae reparas pulſis Saturnia tempora turbis,
Sorte ſenex genitorque pari, felixque maritus,
Ad quem, dimisſis legatis, confluit Orbis:
Haec aliis linquam, uaſtis annalibus apta.
Hic laudare iuuat diuinae munera mentis,
Diue, quibus gaudes noſtras defendere Muſas.

Haeque tuo quondam creuerunt, Iane Georgi,
Magni magne patris fili, nec degener unquam,
Auſpicio, meritumque tuum famamque loquuntur.
Quis tamen haec loquitur digne, quod moribus aulam
Conſtituis, legumque uetas aboleſcere uireis.
Proſtratasue nouas arceis, disiectaque bello
Moenia reſtituis. ſed geſtis praefero rebus
Amplis, diue, tuis, quod magnum, magne, creaſti
Auguſtum. quanti eſt, quod te Leopoldus amabat
Ceu patrem. non ille Getas, Gallosque rebelleis
Profligat, quin arma feras. quantique putabit
Poſteritas, ueterem quod frenas lege furorem,
Qui grauius bacchans academica iura coercet.

O quem te memorem, qui tertius ordine nomen
Continuas patrium! tu quanto, Iane Georgi,
Marte tonas, acie Gallos, ſeu fulmine Thracas
Percutias. Moſa te, te Rhenus ſenſit, et Iſter.
Vindobona ſuos dum cinxerit aggere muros,
Non tua marceſcet, defenſo limite, laurus.
Leucoridum tu moeror eris, quondam una uoluptas,
Et noſtri ſpes una ſoli, ni fata tuliſſent,
Quemque ſatis doluit nemo, nemoque dolebit.

Quarte mihi poſthac laudaris, Iane Georgi,
Teutonicae ſpes quanta plagae, ni funus acerbum
Hauſerit ingenteis animos, coeleſteque mentis

Lumen. Apollo tuis palmas ſibi quaerere ſignis
Coeperat. at lacrymas nobis luctumque relinquis.

Hunc minuit noſtri felix praeſentia Regis,
Praeſidiumque, Auguſte, tuum. quid, maxime regum,
Leucoris exoptat, quin uotis plura capeſſat.
Sarmatici flectis regni disiunctus habenas,
Haud tamen oblitus noſtri. te bella fatigant,
Magnaque circumſtat iam finis cura tuendi,
Et tamen alterius concedis iubila ſaecli,
Impenſis ornanda tuis, regaleque Gnati
Auſpicium donas, teque ipſum pectore toto.
En ſolium uenerata tuum, quod praedicet aetas,
Leucoris his genibus diuinum munus adorat.
En! Auguſte ſuam commendat ſerua ſalutem,
Totque tibi lauros, quot lucent aſtra, precatur.

Tuque tuo teſtans orientem ſidere ſolem,
Tu uotis accreſce piis, Auguſte, decusque
Collige maiorum. cernis, quae corpora Pindus,
Quosque tibi faſceis praeſes ſubmittat Apollo?
Pierii rector ſalueto regie collis!
Auſpiciis laetata tuis ſe Leucoris effert
Altius, et coeli caput inter ſidera condit.

At, qui praeclaras tribuis mortalibus arteis,
Summe Deum, quicquid mens fingit laudis, habeto.
Has tibi fundaſti diuino munere ſedeis,
Terrarumque bono, quibus ingens elicis inde,
Diſperſis radiis, lumen pietatis et artis.
Has tibi conſeruas clemens, clementior auges,
Quaque patet figens Phoebeum meta laborem,
Prolato celebreis doctrinae nomine reddis.
Iam duo decurrunt, annis uoluentibus, orbes
Saeclorum, quibus hic, immoto uertice, Pindus
Statque loco, fluctusque omneis elidit, et omneis
Diſcutit Alpinos Boreas, Auſtrosque furenteis.
Fluctibus heu quantis, quibus eſt iactata procellis,
Et quantis agitata Notis, cum, carcere rupto,
Incubuit nox atra polo, pia cymbula Chriſti.
Hanc tamen impulſam clauumque affixus et haerens,
Aethereus ſeruas nocturnis rector in undis.
Arce Palatinus ferro profugit Apollo
Pulſus, et hoc Gallus cogit ſeruire Triboccum.
Hic Helicon ueteri te conſtitit auſpice fundo,
Defenſusque manet. quamuis circumſonet horrens
Armorum ſtrepitus, nusquam tamen ille mouetur,
Praeſidio tutante tuo, licet adſtet inermis.
Munificum ſemper patrem cum principe reddis,
Et Maecenates Auguſtis addere gaudes.
Doctores ſtudiis ornas, et uiribus imples,
Dotibus inſtructos uariis, quas ſpargit in omneis
Fama plagas, omni commendat nuncia coelo.
Hisque, uocans longis oris, ſubmittis alumnos,
In quibus inſiſtit quondam reſpublica fulcris,
Relligioque feros hoſteis innixa repellit.
Quas tibi pro tanto ſoluemus munere grateis,
Quo nos accumulas? en! his aduoluimur aris,
Hasque tibi duplices, laudantes numina, palmas
Tendimus, ac memori te collaudabimus ore.
Adſis o, placidusque iuues, noſtramque Siona
Siſtas ſede ſua. gremio tueare receptam,
Per-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0138-6 DFG

Perſtet ut aduerſus caſus, creſcatque triumphis.

Sic mihi ſic ſaecli celebranda fuere ſecundi
Iubila treis inter fratres, quorum ille ſacerdos
Henricus Themidos, medius Gothofredus Hygeae:
Tertius haec Muſis et Phoebo carmina dico.
Da mihi, poſteritas, quae tertia ſaecula uiuis,
Da pariter triplici ternos ex ordine fratres,
Quos non ambitio, ſed ſors academica, trinis
Praeficit ordinibus: memor aut hoc concipe fatum.
O fratres, totidem patres, quot dixero fratres!
Vos meriti de me: uobis ego ſaecula reddo,
Saecula, quae ueſtras memorabunt carmine laudes.
Hic mihi frater erat, cupio meminiſſe minores,
Qui recte faciens, nullius uerba minacis
Extimuit, ſolidae defenſus munere mentis.
Ille, quod eſt hominum, uanum per ſymbola dixit,
Praeter amare Deum, tum ſi quis ſeruiat illi.
His ego connumeror praeſes, qui tertius adſum
Orator, quem Francus auet cognoſcere uates.
Hic, hic eſt uates, quem, uates diue, requiris:
Hic ſibi poſt centum tua carmina ſeligit annos,
Statque hoc, quo ſteteras, templo, dicitque rogatus:
O cineres, ubi ſitis ubi, ſaluete poetae!
Sed mihi quis ueſtrum, qui cingitis agmine uatem,
Dixerit, hic ubi ſit, qui tertia iubila ſaecli
Exactis peragat ſpatiis. O poſtume uates,
Quisquis es, et cuias, cum ſerus carmina, nobis
Dicta, legis, farisque nepos, qua diximus aede:
Plaude mihi, Phoeboque tuo, centumque duosque
Cui myſtas, annum numeris imitantibus, addo.
Dic: cineres, ubi ſitis ubi, ſaluete poetae!
Sic tibi, quanta uelis proſperrima, fata precabor:
Fata precor, quibus hic ſtat, praeſide Numine, Pindus

XXVIII.

D. IO. BAPT. ROESCHELII, Ph.P.

Allocutio,

qua competitores in ſummo honorum ſapientiae gradu hos ipſos locandi cauſa, inſtituto veteri convenienter commendat.

DIvinos Saxoniae Heroas debitis efferre laudibus, et immortalem eorundem gloriam digne concelebrare, non opis eſt noſtrae, Decane Spectabilis, Procancellarie graviſſime. Maior haec eſt, quam quae ab animo minutis naturae ſubtilitatibus implicito, recte comprehendi queat, et illi plures numerant meritorum cumulos, quam totus hic complectatur orbis. Cuius omnino nullus eſt locus, quem Sereniſſima et Potentiſſima haec Domus nominis ſui ſplendore non dudum compleverit, nec populus ullus, quem non celſiſſimarum ſuarum fortunarum et Eminentiarum celebritate, in ſui rapuerit admirationem. Ecquae enim humanae felicitatis pars exiſtit, qua ea non gaudeat cumulatiſſime? Quis Principalis dignitatis gradus, ad quem non ſua Virtute adſcenderit feliciſſime, aut quem non obtinere potuerit oblatum, niſi aliter ipſimet prudentiſſime fuiſſet viſum. Quod cogitari vel nominari unquam poteſt ſapientiae aut potentiae monumentum, ad memoriam aeternitatis inſigne, quod non perfecerit exquiſitiſſime atque abſolverit? Provincias poſſidet

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0139-5 DFG

eas, quae reliquarum Europae regionum, aeris et climatis temperie paucis concedunt, ubertate soli plerasque adaequant, auri argentique fodinis ab Hungaria si discesseris, exsuperant omnes. Generis sublimitatem a maximis ductam et derivatam Imperatoribus, per tot iam secula illibatam inviolatamque conservavit non modo, sed et auxit atque amplificavit plurimum, et maximos quosque Europae Principes ad suas necessitudines adiunxit. Adhaec augustae sobolis multitudine florens, innumeros dedit sapientissimos Salomones, et fortissimos belli Duces, qui firmissimos Turcarum Gallorumque exercitus fulminis et tempestatis instar disiecerunt. Eccui enim post invictissimum Poloniarum Regem, cuius Celsitudo omnium obversatur mentibus et animis, ut et vetustiores illos atque abhinc remotiores huius gentis Maiores, ignota sunt nunquam intermoritura illa nomina Friderici, Ioannis, Mauritii, Augusti, Christianorum, Ioann. Georgiorum quatuor? Quorum singulorum rebus domi militiaeque praeclare gestis, ex merito enarrandis, parem dicendi vim et copiam dari non posse, libenter agnoverunt omnes, qui vel amore posteritatis, vel muneris religione, vel auctoritate superiorum inducti, id in se negotii susceperunt, Viri eloqventia pariter et prudentia clarissimi Melanchthon, Camerarius, Dresserus, Boiemus Fabritius, Friderichus Siberus, Hulsemannus, Buchnerus, Schurzfleischius, Valentini, Kirchmaierus, Lani, praestantissimi illorum Panegyristae, et laudum praecones. Sed quid singulorum vitas, aut per omnem aetatem gesta commemoro. Quis Oratorum explicare satis poterit admiranda solum, quae in Regia hac gente evenerunt, cum sacris repurgatis auspicium praebuit, quaeque ipsa ad cultum Divinum promovendum, et veram religionem ornandam amplificandamque instituit et peregit. Hanc non ab aliis accepit, sed sibi a Deo oblatam ambabus, quod dicitur, ulnis, et toto pectore amplexa est prima, agnitam in sinu fovit, auxit, et ad Massagetas usque propagavit, pressam vero et vehementer vexatam contra adversariorum fulmina, machinationes et furias constantissime defendit. Hanc coram toto orbe confessa est, et cui nihil simile aut par omni aevo occurrit, doctrinam eius publice exposuit et vindicavit. Sicque stupendo exemplo non tam reliquis Confessoribus praeluxit, et animos addidit, quam universos Christiani Orbis Principes docuit, quam callide et maligne clerus Romanus, alios Ordinibus sacris non initiatos, a divinarum rerum cura excluserit. Quod sane tale fuit, ut miraculi instar haberi debeat. Est tamen et alterum hoc non minus. Nam excidium Antichristi, quod praepotens et aeternum Numen Danieli Prophetae summo maximorum Regum Nabuchodonosoris et Cyri in sanctiore senatu ministro, post decursum multorum seculorum futurum, velut e longinquo ostendit, Ioanni autem Evangelistae et inter Theologos primo imminere, aut adventare significavit, iam adesse et quasi prae foribus stare Friderico sapienti, Principi senatus Imperii, Duci et Electori Saxonum, aperire est dignatus. Refert enim Antonius Musa ex ore Spalatini, Fridericum ea nocte, quae vigiliam O. S. praecedit, Svidnizii in somnis, ter vidisse ad se venire monachum, de coelo sanctis stipatum, petentem ut sibi quaedam foribus huius templi inscribere liceret, scribentem porro literas exarasse, quae Svidnizii tunc legi potuerint: penna usum tam longa, ut Romam usque pertingeret, et iacentis ibidem Leonis utramque aurem pertransiens, Pontificem ipsum attingeret, et triplex huius diadema tam validis ictibus concuteret, ut vix capiti haereret. Quod cum indignum ac nefarium facinus Principi videretur, percunctatum ex monacho fuisse commotiorem, quid monstri haec aleret penna, responsum vero tulisse, esse eam ex ala anseris Bohemici centum annorum, cuius ab aliis pennis haec diversa et dispar sit ratio, quod eidem vita et spiritus haudquaquam possint adimi. Itaque tam quoque duram et firmam fuisse, ut nulla eam vis confringeret aut comminueret, mox tamen infinitam calamorum copiam protulisse, atque ex sese edidisse, quos viri ingenio propmpti, ac eruditione egregii certatim sumpserint, ad erudita omnis generis volumina conscribenda. Θεήλατον et divinum hoc fuisse somnium, ambigere non sinunt significatae rei magnitudo, et respondens illi eventus exoptatissimus. Quae omnia luculenter admodum docent per monachum et illum Dei sive Angelum, sive nuntium, neminem alium videri intelligen-

ligendum, quam D. M. Lutherum, germanum illum Divi Pauli filium et alumnum. Quam enim concussam et labefactatam, mox suam vidit Leo X. infallibilem auctoritatem hierarchicam, et nullis repagulis coërcitam potestatem, simulatque Lutherus his ipsis templi valvis suas affixisset propositiones. Quam immutata omnium studiorum ratio, et Academiae huius sors durior, qua primis annis usa est, postquam Philippus mutuas cum illo operas coniunxisset? Quae enim hactenus ob varias, quas alternis pene annis perpessa fuit calamitates, civium inopia laboraverat, abhinc incredibili floruit alumnorum frequentia, et quotannis agmina doctorum virorum quaquaversum ab se dimisit. Luthero, qui ut facundus erat et doctus, sic masculae philosophiae amans, omnia eo conferente, ut artes in dies magis magisve florerent, et fructus desideratos, sacroque studio utiles proferent: Philippo autem Melanchthone, cum vigente iam tum cogitationum solertia explicationis perspicuitatem coniungente, et nihil eorum intermittente, quibus literae et artes possent reddi illustriores. Nam Lutherum alieniorem a vera fuisse philosophia, et Melanchthonem vel tantillum, ab optimarum artium amore et cultura remisisse, non nisi inficeti Surii invenustum et infelix est commentum. Vt mirari merito subeat, potuisse hanc fabulam non solum Lud. Cresolium et Cla. Clementem recoquere; sed et Lud. Maimburgium novissime eandem magna pompa, nec sine insigni augmento, in scenam produxisse. Indignum certe in tanta rerum luce, de Lutheranismo enucleate et exqvisite commentari volentem scribere, Lutherum continua philosophiae Scholasticae vituperatione Carolostadio caussam erroris dedisse: turpe est veras turbarum illarum faces ignorare, et ex illis praeter Alphabetum nosse neminem, non ludimoderatorem Georgium More, non Fratrem Gabrielem: illiberale denique cum Philippo Stumpio Qvintiliani Professore, ut Selneccero audit, qui provinciam demandatam cum opificio manuali commutaverat, confundere Philippum Melanchthonem, qui unus maxime illorum insaniae repugnaverat et praecipue cum D. Schurfio, absente Luthero, eam represserat. Nec fraudi sit Erasmum plus vice simplici ad amicos scriptitasse, periculum esse ne bonarum literarum studia sub Lutheranismo intereant! Nam hunc primo sinistri quid metuere fecit ingrata fatorum Capnionis memoria, deinde in transversum egit odii acerbitas in adversarium sibi gravem et difficilem. Atqui Lutherus, si acriore sale dura tunc temporis Sorbonistarum et Coloniensium capita perfricuit, si vehementius quid in Philosophiam Peripateticam dixit, non primus is fuit, nec aliud quicquam quaesivit, qvam ut crassos illorum errores iugularet, huius vero impium in doctrinam divinitus traditam dominatum everteret, et Codicem sacrum in illam dignitatem eveheret, quam praeter fas et decorum hactenus occupaverat Theologia Scholastica. Ceterum omnis doctrinae liberalis, humanitatis, matheseos et scientiae Naturalis summus aestimator, et praeco fuit. Proinde etiam nullo non commendationis genere diligentiam Philippi approbavit et confirmavit, qva is indefessa opera optimarum artium studiis confirmandis et expoliendis totus in cubuit. Verissimus cum Luthero communis Germaniae praeceptor, et auctor ut paucorum spatio annorum, longe alia philosophiae perinde atque Theologiae facies appareret, atque barbaries, et haeresis, non acie gladii, uti apud Cl. Bonarscium ab adversario inermes conciderent hostes, sed potentia verbi, et orationis everterentur, ac profligarentur. In primis autem huius Scholae ea fuit felicitas, ut exinde omnis quidem divina et humana sapientia, praesidiis firmata, hic eximie floreret; sed praecipue tamen nobilissima artium Triga, sublimis philologia, subtilis mathesis, et solers naturae interpres Physica, altiores veluti ageret radices, et adolesceret laetius, ac nitorem sine vitio et labe iucundius explicaret. Quod quo minus grato celebremus animo, nihil obstare nobis patimur animum Philippi angustum, parvum ac subtimidum, aut nimium discipulorum in hunc praeceptorem amorem: quae duae res nobis doctrinam repurgatam prope pessum dederunt, evertissent certissime, nisi Deus ex machina adfuisset, et summa Serenissimi Principis Friderici VVilhelmi Pro-Electoris admirabilis prudentia et integritas rem prolapsam in integrum restituisset. Huic quippe vero Patri patriae acceptum referre necesse habemus maximi Principis Christiani II. summum pietatis Zelum, et singula-

gularem gratiam in doctos et prudentes viros: huic iure adscribimus et tribuimus erroris, qui ab auctore Philippismus dicitur, ex Academia proscriptionem. Pessime hinc equidem extorres et horum patroni ominabantur, et actum aut conclamatum esse de literis Vitembergae quiritabantur, redituramque mox pulsam a Philippo barbariem vociferabantur. Tantum vero abest, ut quicquam damni aut detrimenti acceperint, ut etiam eaedem illae, in quibus isti se dominari aut triumphare credebant, excultae magis et amplificatae fuerint. Ornante Eloquentiam Ad. Th. Sibero, Oratore disertissimo, Historiam I. VVanckelio, interprete Gvevarae dexterrimo, Physicam Io. Fabritio primo macularum solarium, quod accidit anno supra millesimum sexcentesimum nono, observatore, mathesin M. Iostelio, ob absolutam doctrinam prosthaphaereticam Longomontano non leviter laudato. Ad horum laudabile exemplum qvid successores, quid alii attulerint, proclive foret pluribus declarare, nisi desiderata brevitas aliud exposceret, et idem hoc alias commodius fieri posset. Illud praeterire non licet, studia haec, ab eo tempore cum reliquis sapientiae partibus pari felicitate ad summa processisse, ut hodie fere nihil aut parum a debita perfectione abesse videantur. Nec dubium est, quin laus haec almae matris propria et perpetua sit futura. Nihil profuit olim impetus, nihil profecerunt machinae hostium philosophiae et artium, nihil nuper admodum malevolorum quorundam vehementiores expostulationes, ac iniquiores censurae. Adhuc salva sartaque conservatur philosophia, florent etiamnum hic artes, et ne minimum de suo splendore perdiderunt. Nondum marcescere coepit virtus pristina, et antiquus vigor. Nondum effoeta est, aut languida penna Lutheri. Sectatores ad invidiam usque multos habuit quondam Pythagoras, duo millia auditorum numerare poterat Theophrastus: Tu Decane Spect. P. G. ad pedes tuos stare vides duos et centum, cum absentibus, non tirones aut de grege novitios, sed viros scientia insigni, non ex promiscua multitudine nulla eruditione turbam, sed hominum exercitatissimorum centuriam, non versatos solum triarios, sed egregios mox ordinum ductores. Hi postquam per complures dies in privato et publico stadio strenue decertarunt, et constitutis studiorum existimatoribus suam constantiam, robur et doctrinam abunde comprobarunt, iam ea, qua par est, veneratione per me interpretem a Te prolixe petunt, et contendunt, ut sibi laurum philosophicam, et praemium multo labore partum benevole tribuas atque concedas. Quod beneficium si a Te impetraverint, cum ipsi illud grata mente, et debita pietate perpetuo recolent, tum ego omni observantiae genere prosequar et demerebor.

XXIX.

IO. GVILELMI BERGERI

Responsio, ipsaque solennis Magistrorum creatio ex praescripto et formula Philippi Melanchthonis Ordini sapientissimo usitata.

CLarissime uir, Collega obseruande, cum satis constet, uerissima esse, quae abs te erudite et grauiter dicta sunt: non libet plura in eam sententiam uerba facere.

Petitioni autem tuae, eo etiam assentior libentius, quia iustum est, uiros honestos, et idoneos ad docendum, publicis testimoniis ornari, ut studia literarum conseruentur, Ecclesiae et Reipubl. necessaria. Postquam igitur horum (CII) Candidatorum eruditionem atque integritatem probauit Collegium nostrum, atque propterea decreuit, ut titulus et insignia Magisterii Philosophici his conferrentur, Ego quoque ipsorum honori ac dignitati faueo, eosque promoueri cupio, quod ingenia ipsorum et studia, Ecclesiae et Reipublicae profutura esse spero.

GRA-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0142-8 DFG

GRADVS.

Qvod igitur felix ac fauſtum ſit. Ego autoritate publica, qva in praeſentia fungor, hos CII. Candidatos, Viros Reverendos, doctos et honeſtos, in hanc cathedram collocatos, initio, gradu Baccalaureatus in philoſophia primo, eos ſcilicet, qui illum nondum ſunt adepti. Deinde vero ex aequo omnes, gradu Magiſterii, qui eſt in Philoſophia ſummus, orno, ac in LIBERALIVM ARTIVM ET PHILOSOPHIAE MAGISTROS promoveo, et promotos renuncio, in nomine PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

PRIVILEGIA.

Attribuo autem vobis omnia ornamenta, et Privilegia huius ordinis propria, quae ut rectius intelligantur, ac intra metas legitimae vocationis vos coërceant: Sapiens vetuſtas huic publicae renunciationi ſolennitates quasdam addidit, quas voluit non ineptos ludos aut inania ſpectacula eſſe, ſed utiles ac graves commonefactiones, de praecipuis officiis, quae ordinis huius profeſsio complectitur, et ſeverisſime requirit. Quare in his quoque uſitatum morem ſervabo.

CATHEDRA.

Ac primum uos in hanc honeſtisſimam Cathedram colloco, quae eſt ſedes docentium in Scholis. Hoc ritu primum uos ſiſto Eccleſiae et Reipub. ut ſciatis, uobis non quasliber functiones privato arbitrio rapiendas, ſed honeſtam vocationem legitimo more quaerendam et expectandam eſſe. Simul etiam teſtificor, uos de ſententia Praeceptorum idoneos iudicari, quibus munus docendi in Scholis commendari poſsit. Quare uobis etiam poteſtatem tribuo docendi Philoſophiam, iuxta vocationem, et leges cuiusque loci. Poſtremo de genere doctrinae, de aſsiduitate, integritate, ac fide docentium et diſcentium, eorumque officiis, hoc ritu uos commone fieri memineritis.

LIBRI.

Deinde et Libros propono, in quibus doctrinam bonarum artium, tanquam depoſitum, bona fide uobis cuſtodiendum trado, atque commendo. Hos etiam uobis aperio, ut cogitetis, aſsiduo ſtudio alendam et augendam eſſe eruditionem. Saepe enim recitari audiviſtis Epicteti admonitionem aſsidue cogitandam, cum inquit: Non facile doctrina comprehenditur, niſi quotidie eadem et dicat aliquis, et audiat, et in uitae actionibus eam exerceat. Et Paulus praecipit aſsiduam lectionem, inquiens. Attende lectioni. Et ſunt ſimiles plurimae admonitiones. Plato dicit, oportere opiniones velut aurum purgari meditatione multorum annorum.

PILEI.

Impono uobis et Pileos, qui fuerunt quondam inſigne docentium in Eccleſia, ut antiqui Canones teſtantur. Horum autem rotunditas, Vos de ſtudio Concordiae, et totius uitae integritate: uiolaceus uero ſeu hyacinthius color, de modeſtia, temperantia, manſuetudine et uerecundia uos admoneat. Voluit enim ſapiens antiquitas eos, qui eruditione et virtute antecellunt, et docent alios, etiam integritate morum, et honeſtate uitae ornatos eſſe. Fortasſis etiam hi, qui pileis ornarunt hunc ordinem ſignificare uoluerunt, haec ſtudia Philoſophica etiam ad Eccleſiam pertinere, ſicut veriſsimum eſt. Et ſobriae Philoſophia magnum decus eſt Eccleſiae. Caeterum, nos omnes habemus alias grauiſsimas commonefactiones, quae iubent nos referre ſtudia ad ſalutem Eccleſiae, ſicut ſcriptum eſt: omnia ad gloriam Dei facite.

ANNVLI.

Tribuebatur olim et ius aureorum annulorum, qua ceremonia ius ingenuitatis et libertatis conferebatur. Poſtea hic mos ad Scholam translatus eſt, ut gradibus ornatis dignitas tributa eſſe ſignificaretur, et ut teſtimonium haberent libertatis. Admoneat autem uos hic ritus de uera libertate, quae non eſt barbaria et infinita licentia, et petulantia effrenis, dicendi aut agendi quidlibet, ut Cyclopum multitudo iudicat: ſed eſt facultas, recte faciendi iuxta Leges, et conſtantia modeſte et grauiter, dicendi ueras ſententias, de diuinis et aliis rebus neceſſariis. Vetuſtas hos annulos aureos eſſe uoluit, ut hoc

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0143-3 DFG

pretiosissimo et purissimo metallo nos de dignitate et puritate, doctrinarum admoneret. Et quia annulus etiam pro Arra mutua usurpari solet, quae datur ad confirmandum contractum nuptiarum inter sponsum et sponsam: cogitabitis simul, uobis nunc quasi desponsari Philosophiam, et uos hac ceremonia publica obligari, ut suscipiatis propugnationem et curam bonarum artium, quarum conseruatio et propagatio Ecclesiae est utilis. Huius honestissimi foederis etiam uos Annulus commonefaciat. Et quia in Republ. inter gradus dignitatis, Imperatores, Literarum Professoribus honestum locum attribuunt, hunc virtute tueri decet.

CONCLVSIO.

Postremo, cum sciatis, uitam et sapientiam et omnem vocationem hominum non esse felicem, nisi DEO nos gubernante et iuuante: cumque DEVS clementissime praeceperit, ut ipsum inuocemus, et auxilium inuocantibus promittat, sicut scriptum est: Petite et accipietis: Oro DEVM aeternum Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, conditorem coeli et terrae, et generis humani, una cum Filio suo coaeterno, Domino nostro IESV CHRISTO, et Spiritu Sancto, fontem omnis sapientiae, iustitiae, et pacis, ut semper sibi colligat inter nos aeternam Ecclesiam, eamque una cum hoc honestissimo coetu Scholastico docentium et discentium, aduersus horribilia mendacia et homicidia Diaboli, et organorum eius, clementer servet, protegat et gubernet, ac nos omnes faciat uasa misericordiae, et organa salutaria, propter gloriam nominis sui, et Ecclesiae salutem, AMEN.

XXX.

ORDO CANDIDATORVM, quo sunt iisdem solemnibus renunciati.

V*Olckert Stephani*, Hamburgensis.

Iustus Christian. Vthenius, Clinga Schvvarzburgicus.

Io. Quoduultdeus Burgerus, Misenensis.

Io. Christian. Benemannus, Prettino Saxo.

Io. Ioachim. Goezius, Coburgo Francus.

Michael. Rechenbergius, Augustoburgo Misn.

Augustus Fridericus Schneiderus, Pastor Primarius Ecclesiae VVegelebiensis.

Io. Christophorus Reuchelius, Diaconus Ecclesiae Tzschopauiensis.

Io. Frizschius, Diaconus Substitutus Ecclesiae Penicensis.

Christian. Hertelius, Pastor Ecclesiae Iahnsdorfiensis, et Meinersdorfiensis.

Godofred. Mitternachtius, Pastor Ecclesiae Franckenthalensis, et Muhlsdorfiensis.

Christian. Schusterus, Pastor Ecclesiae Doelitiens. ad Montem, et Doerfteuitiensis.

Henr. Benedict. Vchlaenderus, Pastor Ecclesiae Ruckmersdorfiensis, et Lindenauendorfiensis.

Samuel. VVolfgangus, Pastor Ecclesiae Vrsprungensis.

Daniel Thomasius, Pastor Substitutus Eccles. Steinpleissensis.

Martin. Vlichius, Pastor Eccles. Ruckersvvaldensis.

Io.

Io. Leo, Pastor Eccles. Sorneuitiensis.

Christian. Pauli, Pastor Eccles. Laassens. et Zausuitiensis.

Io. Nicolaus Hoepfnerus, Pastor Substitutus Eccles. Draschuitiensis.

Godofred. Trachbrodus, Pastor Eccles. Megaloroesenens. et Microroesenensis.

Henr. Christophor. Trautvvein, Pastor Eccles. Schoenstadiens. ad D. Martini.

Amandus Cunradi, Diaconus Eccles. Neostadiens. Misnorum.

Godofred. Fleck, Pastor Eccles. Nosodochialis Dresdensis.

Godofred. Tettelbachius, Pastor Eccles. Rammneauiensis.

Io. Georg. Eckardus, Rector Scholae Plauiensis.

Io. Ultmannus, Collega Scholae Rochlitiens.

Io. Ioachim. Zeit, Quedlimburgensis.

Io. Sigismund. Babatius, Regio Monte Prussus.

Gustau. Frideric. Pistori, Endorfiensis Saxo.

Io. Erdmann Biec, Mansfelda Saxo.

Caspar. Henric. Iacobaeus, Pirna Misnicus.

Hermann. Mullerus, Riga Liuonus

Michael Gerdson, Riga Liuonus.

Io. Christoph. Lohmannus, Reualia Liuonus.

Eberhard. de Renteln, Reualia Liuonus.

Henr. Guilelm. Radeloff, Riga Liuonus.

Christian. Balthasar. Speckhuhn, Friburgo Thuringus.

Io. Godofred Hoeferus, Bernsbachiensis Misnicus.

Io. Gottlobio Dieterico, Zadela Misn.

Christian. Godofr. Mullerus, Tzschopauia Misn.

Io. Christophor. Vogelius, Robena Misn.

Georg. Galuschkius, Stroppa Siles.

Io. Godofred. Feinlerus, Vihä Thuring.

Constantinus Georgi, VValdheimens. Misn.

Io. Fridericus Pfindelius, Froburgensis Misn.

Io. Christianus Giesmannus, Megaloparda Misn.

Balthasar Fridericus Giesmannus, Megaloparda Misn.

Pilipp. Iacob. Faulmannus, VVallendorfio Martisburgicus.

Immanuel Fortunatus Brehmerus, Belticio Saxo.

Augustus Birckholzius, Burgscheidinga Thur.

Io. Martinus Oppeltus, Dresdensis.

Io. Georg. Dietericus, Schavensteinio Variscus.

Io. Fridericus Keil, Ciza Misn.

Daniel Kuhnhardus, Longosalissa Thur.

Io. Arnoldus, Auerbacens. Misn.

Io. Abrah. Gressius Oberfranckenhayna Misn.

Petrus Asterus, Leisniga Misn.

Io. Andr. Kraussius, Iosephopoli Misn.

Io. Christianus Grabnerus, Tzschopachio Misn.

Io. Paulus Grabnerus, Tzschopach. Misn.

Gotthardus Schusterus, Langenhessa Misn.

Ioach. Melch. Rango, Colberga Pomeran.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0145-5 DFG

Godefredus Spiessius, Freiberga Misn.

Petrus Schillingius, Stendaliensis.

Io. Polycarp. Goelnerus, VVulfferoda Thur.

Io. Grunerus, Theuma Varisc.

Adam. Frid. Zurnerus, Marienauia Varisc.

Io. Georg. Frosch, Gefella Variscus.

Io. Georg. Koehlerus, Arnsfelda Misn.

Fridericus Guilelm. Schleusnerus, Zoesa Misn.

Carol. Frider. Schmidius, Oelsnitio Varisc.

Christianus Sippelius, Tenstadio Thuring.

Petrus Paulus VVagnerus, Gersdorf. Misn.

Io. Christianus Hungerus, Geytha Misn.

Io. Michael Engelmannus, Bischofuerd. Misn

Christianus Dietsch, Iudenberga Sax.

Io. Christianus Mullerus, Roethauia Misn.

Godofredus Freund, Dresdensis.

Fridericus Guilelmus Fischerus, Totlebia Thur.

Christianus Godofredus Mullerus, Freiberga Misn.

Georgius Nizschmannus, Steinichtvvolmsdorfio Misn.

Abrahamus Helm, Iahna Misn.

Io. David Lauterbachius, Neostadio ad Saltum.

Io. Adam. Langius, Oelsnitio Varisc.

Io. Godofredus Leupoldt, Penigna Misn.

Christianus Liesnerus, Zitta Lusat.

Io. Christianus Hauffe, Medigna Misn.

Andreas Kutnerus, Bayersdorfio Francus.

Io. Fridr. Kellius, Zuochauia Misn.

Io. Leonardus Buchta, Althemio Francus.

Henric. Augustinus Andreas, Thanna Varisc.

Otto Broedermannus, Hamburgensis.

Petrus Hesselius, Hamburgensis.

Christianus Gottlob VVilischius, Pausitio Misn.

Io. VVolfgangus VVunderlich, Dresdensis.

Sigismundus Schmidius, VValdenburgo Misn.

Christianus Schneiderus, Rosuino Misn.

Io. Ernestus Staudingerus, Alslebia Magdeburg.

Godofredus Prossius, VVerdauia Misn.

Godofredus Hermannus, Bitterfelda Saxo.

Georg. Henr. Arnoldi, ad Fanum Diui Laurentii Nassouia Saruerdanus.

Io. VVolffgangus Pfindelius, Oelsnitio Variscus.

Ad Doctores Sapientiae, recens creatos.

CIngite Pieria uictricia tempora lauro,
Quam uobis uigili comparat arte labor.
Quaque patet cultus praeclaris artibus orbis,
Ite bonis auibus, praesidioque Dei.
Ite, nouum uobis, et Phoebo, quaerite nomen,
Et Clarium lato tendite fine decus.
Fertile uirtutis, doctrinae spargite semen,
Floreat ut felix ubere messe dies.
Vos quocunque uocent distractos fata, precando
Prosequar, ut cumulis crescat honoris honos.

XXXI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0146-0 DFG

XXXI.

QVAESTIO

a

VOLCKERTO STEPHANO, Hamburgensi,

Philosophiae Magistro, recens creato, et ordine inter omnes primo, publice, proposita.

Potentissimi Poloniarum Regis et Saxoniae EL., ut et Serenissimi Regii Principis atque EL. Saxoniae Heredis, Rectoris nostri magnificentissimi, Legati et Consiliarii perillustres atque excellentissimi, Prorector magnifice, Hospites et Delegati maxime suspiciendi, Patres et Proceres summa meritorum dignitate conspicui, Auditores, Cives, et Commilitones generosissimi, nobilissimi, florentissimique.

TErtius solennium Academicorum dies agitur, quem numerus omnium opinione sanctus insigniorem reddit, divinitatisque auspicium praebet. Pythagoras sapientum omnium, quotquot Graeciam illustrarunt, aetate et auctoritate princeps numerum imparem, qui, tria continet, assidue celebravit et coluit, aeternisque sapientiae monimentis consecravit. Numerus, credite, divinus, et Divinitatis, quae in Trinitate colitur, aemulus, in solennia huius Academiae convenit, quae ut tertium nudius tertius seculum auspicata est, sic eundem felicitatis cursum novo Academiae seculo promittit deinceps, et plane confirmat. Adsit Numen incepto, et volens propitium ordinis literati institutum fortunet, et novae, quam exoptamus, felicitati cumulum addat, nec benignitatem suam nobis claudi patiatur, sed indies atque adeo in perpetuum prosperitatis veluti flumina, ex perenni fonte, ac immenso bonitatis suae oceano, continenter et copiose in nos effundat. Testes sunt rerum feliciter gestarum tres gravissimi Academiae ordines, qui sacram, civilemque, et salutarem rempublicam, deductis ab se doctissimorum hominum caloniis, heri locupletarunt et exornarunt. Opportune hic recordor antiquissimae Cisalbinorum Saxonum gentis, in tres quondam respublicas divisae, quarum prima erat Saxonum orientalium, altera Saxones ad occidentem porrectos tenebat, tertia Angarios, ab agri planicie dictos, complectebatur. Haud dubie Saxones in *ternario* divinitatem reputarunt, et has ac diversas, nec nisi foedere coniunctas habuerunt respublicas, atque in hoc genere Pythagorae sapientiam fortasse imitari voluerunt. Vndenam vero profecti fuerint in has terras, scire pervelim, et quando suas condiderint leges, statumque popularem firmarint. Monimenta veterum circumspicio, sed nihil, neque in Caesare, neque in Tacito, neque in ullo, quod opinor, primi post N. C. seculi scriptore quicquam de nomine genteque Saxonum animadverto. Postulat autem instituti dignitas, et honor templi huius ab Saxonibus constructi, in quo consisto, et Friderici III. con-

conditoris memoriam, recogito, et Saxonici operis formam contemplor, ut quae huius rei causa sit, abs Te Viro originum Germanicarum peritissimo, nunc quaeram. Sed prius quam id fiat, religio obsequii me admonet, ut Regem Sarmatiae, EL. Saxoniae, et Principem Regium EL. Saxoniae Heredem, nostrumque magnificentissimum Rectorem, omni votorum pietate, meo et commilitonum Magistrorum nomine, Deo immortali conservatori regalis solii, et defensori huius Academiae commendem, sanctissimasque gratias pro summo et regio, in Academiam, et nos collato beneficio persolvam. Diuturna sit Regis maiestas, vita longissima, felicitas perpetua, consilia et eventus regno ac patriae nostrae salutares, regioque nomini semper gloriosi.

XXXII.

CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII,

RESPONSIO

ad propositam quaestionem.

QVod coetui divino salutare, reique publicae literis florenti fortunatum et faustum, atque ordini in primis nostro prosperum et honorificum sit!

Perillustres atque excellentissimi Sarmatiae Regis et Saxoniae EL., Principisque Regii et Saxoniae Heredis, Legati, Prorector magnifice, Delegati auctoritate et meritis gravissimi, Patres, Proceres, et Hospites generosissimi, Auditores et Cives nobilissimi, vos denique reverendi humanissimique Doctores philosophiae et Magistri, natalibus clari, ingenio perpoliti, varia et multiplici doctrina praestantes, more maiorum in templo arcis solenniter renunciati.

Permagna vis inest in stirpe generis, et semine cuiusque nationis et gentis, quae movet animos et excitat, impellit et continenter urget, ac multa et magna conantibus stimulos admovet, et perpetuas ad agendum vires impertit, ut nulla quietis otiique dulcedine capiantur. Talis vero tantusque ardor de coelo deducendus est, qui alit et auget divinos illorum impetus, quos maximi labores non frangunt, praesertim cum ad gloriam spectant, et ignis instar, a terra se altius tollunt, nec difficultatibus, in quas incidunt, deprimuntur, ut quo magis impedire velis ad laudem incensos, eo fortius contendant, acriusque obsistant, et alacrius enitantur. Flumina ipsa et torrentes e montibus lapsi, nunquam feruntur celerius, nunquam praecipitantur vehementius, quam cum oppositis molibus sistuntur quodammodo et intercluduntur, sed quin erumpant rursus, et pristinum iter repetant, nullis, ne obiectis quidem aggeribus, prohiberi possunt. Nec dum vigens illa et omnia ciens vis cessavit unquam, aut exolevit. Tanto minus refrixit calor, mentibus humanis inditus, et contentione industriae, velut formite, excitatus. Quod ut probem, non documenta nunc conquiro, sed exempla ante oculos posita contemplor. Vos alloquor doctores novos, quorum impetus ratione incitatus non resedit, nec divinus ille ardor, qui animos vestros ad laudem incendit, restingvi potuit ac sedari, Ceterum non obtundam vos dictis, neque remota a nobis, et peregrina consectabor, tantum abest, ut divinitatem numeri imparis, qvi tria continet, in praesidis literarum Minervae nomine quaerendam putem, ut nihil magis instituto meo contrarium existimare possim. Alios haec cura teneat, quamobrem TRITOGENIAM dixerint veteres, et eo nomine hanc Musam a ceteris distinxerint, tertiamque appellarint. Vtrum ad significandam originis maiestatem, an ad indicandum nativitatis ordinem, an ad repetendum aliunde ortus initium, an ad locum, qui nascentem excepit, commonstrandum, an ad aliam fortasse causam, in qua lumen dignitatis eluceat, denotandam, eruditis fabularum conditoribus relinquo. Illud omnino

mnino veterum opinioni respondet, et a sapientum principe confirmatur, quod numerus ille non modo divinus, sed etiam divina virtute praeditus sit, atque ad sacra aptissimus idem commodissimusque videatur. Quantam enim et quam coelestem vim habeat, in libris de coelo prodidit, et ante eum docuit Pythagoras, omnia in hoc inesse numero, quae plena et perfecta sunt, quaeque initium, et ab initio ducta medium, finemque habent. Horum non magis auctoritate, quam ratione adductus Theon Smyrnaeus Graecorum scita comprobavit, et suis Pythagoreos vestigiis persecutus, omnia fieri in tribus censuit, sive obeundum munus sacrum esset, sive iniri societates et foedera oporteret, sive perfunctionem laboris svaderet utilitas, aut necessitas postularet. Omitto Platonem, quem assidua legendi consvetudine Theon ita trivit, ac sibi familiarem reddidit, ut Platonici cognomine eum Proclus appellaret. Tanta omnium consensione receptus, tantaque religione cultus ille numerus, in ritu libandi valebat, atque in sacrificiis probatus, signum notamque divinitatis ostendere credebatur. Non advocabo testes, Plinium, et Macrobium, scriptores utique graves, nec diligentiae laude fraudandos, quorum si fecisset iacturam posteritas, multarum profecto antiquitatum vix umbram ac vestigium retineret. Sed causam rei, quam et Virgilianus praeteriit Alphesibaeus, vellem explicatius tradidissent, et usque a capite arcessitam, monimentis mandassent. Cuius non dicam ignorationis, sed cessationis in scribendo culpam nemo praestare voluit, nemo facile post illos potuit: ne docti quidem fabellarum explanatores ad inquirendum hoc aggressi sunt, quos in liberali, et literarum causa dato divinitus otio videre mihi, et legere integrum fuit. Sed aliquanto post diligentius cogitanti, venit in mentem tripodis, constituti in fano Apollinis, religiosque dedicati, ex quo divinabat ille, et instantia praenunciabat, oraculaque edebat. Qui cum Delphis primam obtineret sedem, et multa veneratione coleretur, tum in aliis quoque Vrbibus positus, et consecratus, divinoque honore affectus, haud obscuram divinioris huius numeri significationem dedit. Erat autem iste tripus ex aere conflatus, nec alibi eius imago, nisi aenea in delubris ponebatur. Sed Apollo, qui apud Miletum colebatur, Didymaeus, abs Thalete, aureo tripode donatus est, novo et memorabili exemplo, quod singularem Milesii modestiam, quae omnes decet, et praecipue ad sapientes pertinet, mirum quantum declarabat. Sed nihilominus ex priore illo aeneoque oracula, vaticinationes, et responsa reddebantur, atque ipsius etiam Apollinis nomina divinitatem originis ostendebant, et referebantur ad sanctitatem perfectionemque huius numeri comprobandam. Vnus adeo est, manetque numerus, quem Samius celebrauit assidue, coluit insigniter, consecravit religiose; unus, inquam, omnia continens, et perfectus, atque in sacris auspicatus, et vota nuncupantibus faustus, consilia capientibus utilis, foedera pangentibus fortunatus, medicinam facientibus salutaris, et modis omnibus sanctus, numinisque plenus. Atenim vero Saxones, a Cimbriae finibus, relicta Holsatia, traiectoque Albi, in regiones Germaniae mediterraneas profectos, et cis ac trans Visurgim longe lateque rerum potitos, in describendis, et distinguendis imperii finibus, hunc talem cogitasse numerum, nemo dicet temere, nedum pertinaciter defendet. Tres, et diversae Saxonum respublicae, a gente Martia constitutae, foedere mutuo se devinxerunt, et paribus auspiciis libertatem tutatae, emissis in hasce terras coloniis, Venedos immanitate barbaros, feroces Sorabos, et Dalemincios exterminarunt, aut subactos in ditionem suam redegerunt. Iam facile erit statuere, Saxones nihil tribuisse numero impari, nihil certe divinitatis in eo reposuisse, quotiescunque arma sumerent, et occupatis regionibus, fines proferrent. Novas sibi sedes, ut dabat occasio, constituebant, in expeditionibus et praeliis robora militum, et vires legionum reputabant, de numero impari non laborabant, neque tamen auspicia negligebant, sed ea aliunde petebant, et minime ad hunc numerum referebant. Indigenae Germanorum Saxones sunt, non ab Sacarum populo orti, neque ab Asia profecti, multo minus ex Macedonia, cum Alexandro Macedonum Regi militassent, dilapsi. Sed haec eiusmodi sunt, ut referre pigeat, et refellere, vix operae pretium videatur. Saepe mihi stomachum movent scriptores, commenta narrantes, Saxo Sialandicus, Siffridus Petri, Furmerius, Leznerus, et alii horum similes, qui aut non rectam ad origines viam commonstrant, aut migrationem gen-

tis non explicatam reddunt, aut rempublicam ex ingenio effingunt. Romanis diu ignoti, ſuis domi laboribus fruebantur: poſtea confirmatis viribus, Francos pariter aemulos ac hoſtes habuerunt, illorumque vires diuturno et terribili bello confecerunt, tandem non armis, ſed religione mitigati, ceſſerunt. Populi ſane fortiores, quam exteris olim notiores, quorum nomen tantiſper in tenebris latuit, et ignoratum eſt, dum primus omnium Ptolemaeus in lucem proferret. Ab huius enim tempore nulla id oblivio unquam obſcuravit, nulla deinceps ſeculorum invidia extingvet. Aliqui coniectura ducti, inter Taciti Foſos, qui Cheruſcos inter et Cimbros erant, retulerunt; aliqui longius abeunt, et Chaucorum, quos idem ille tradit, nomine contineri arbitrantur. Hoc magis diſceſsionem ab iis facio, qui rentur, habendos eſſe pro Cattis, et populos origine ac ſedibus diverſos, et aemulatione gloriae ſibi infenſos ſemper atque infeſtos permiſcent, migrationumque rationes penitus conturbant. Sunt, qui nomen Saxonum ex Taciti libro de ſitu et moribus Germanorum inſcripto, excidiſſe putant, ſeu iniuria temporum, ſive librariorum vitio id contigiſſe ſuſpicantes. Verum huius coniecturae fidem praeſtare non auſim, quamvis multa in eo menda inſediſſe ultro concedam, a quibus auctorem vindicari par eſt, ut induſtriae fructu ne careamus. Propius vero opinantur alii, Saxones in Anglis numerandos; quos finitimos fuiſſe, et foedere coniunctos, nemo qui res gentis noſtrae cognitas habet, inficiabitur, ſed in unum utrosque conflare populum, per leges hiſtoriae non licet, nec Bedae teſtimonio comprobari poteſt. Quin ipſi Tacito, multis Beda ſeculis antiquiori, ſententia haec repugnat, idque docet me et commonefacit, ut verba Vitichindi Corbeienſis, Saxonum initia a Danis Normannisque deducentis, caute accipiantur, aut erroris arguantur, quod ne Anglis quidem propinquioribus, et Vitis, quos vulgo et nove Iutas nominant, originem illorum acceptam referamus. Nomen Lucani aetate recentius eſt, quod minime in Lucano, ſed in quisquiliis interpretum, qui indocte et inſcienter vatem explicant, reperiamus. Non enim alii, quam Axones, ab eo intelliguntur, Galli videlicet in Romanorum finibus poſiti, quos et Bituriges in eodem verſu coniunxit, cum vel nulla, vel obſcura tunc eius nominis memoria eſſet, et prima Saxonum in Galliam irruptio fieret ſerius, et fugeret poëtam. Enimvero imperante Diocletiano, ut auctor eſt Eutropius, Galliae Belgicae, et Aremoricae litora invaſerunt, ac depraedati ſunt, relicto apud Garumnam expeditionis ſuae monimento. Antea nihil, quod in literas relatum ſit, geſſerunt, nominis tamen, et antiquiſſimae originis, ſitusque priſci, cum trans Albim in ora maris conſiderent, prima eſt mentio apud Ptolemaeum, ſcriptorem in locorum deſcriptione principem, et Antonini pii temporum aequalem. A Romanis domi nunquam tentati, ſed cum Galliam maritimam vaſtarent, a Valentiniano, teſtibus Zoſimo, Oroſio, et Apollinare Sidonio, repreſſi demum, et retrocedere coacti, ſed non victi, a Francis Merovaei poſteris, nec oppreſſi, neque ſub iugum miſſi, ab horumque ſucceſſoribus proximis, et cis atque ultra Alpes potentia confirmatis, nunquam domiti, et in cladibus animoſi, interdum ferociores extiterunt. Tertiae ſtirpis Regibus, ex Gallia trans Moſam Rhenumque profectis ſe obiecerunt, et ereptas Burgundionum Belgarumque regiones Germaniae vindicarunt, Francisque ſuperioribus, et a Ludovico Caroli M. nepote oriundis, quibus Germania obtigerat, bello exhauſtis, ac de praeſidio deiectis, patriam auſpicio ductuque ex periculo eripuerunt, et manu atque conſilio Imperium, dignitatem, fortunas noſtrae gentis conſervarunt, Vngaros, illatis crudeli populo cladibus, ſubmoverunt, Langobardos, fractis eorum viribus, profligarunt, ſervitutem propulſarunt, avitamque libertatem, langvore et deſidia Francorum prope amiſſam, ſingulari virtute, et armorum felicitate recuperarunt, Imperiumque Romanorum, et regnum Italiae magnis viribus, et multo ſangvine partum, ad Germanos iure ſemper manſuro detulerunt, adeo ut dignitate nominis, nobilitate generis, magnitudine operum, numero victoriarum Saxones facile omnibus Europae nationibus praeſtarent. Nec vero armis tantum et belli artibus floruerunt Saxones, ſed etiam literis, et literarum ſtudiis eluxerunt, fide et conſtantia nulli Regum ſecundi, et Imperatorum, qui pro libertate pugnaverunt, auſpicia ſecuti, perfidiam, ut ſcopulum, refugiendam putarunt. Exemplum immortalitate dignum eſt, quod victi tandem victores

ſuos

ſuos vicerunt: id quod Dei munere accidit, ut illis fato, aut veterno langventibus, ſummam rerum Germanicarum tenerent, nec modo non amitterent, quod virtute acquiſierant, verum integra etiam regna fortitudinis praemia conſequerentur. Profecto auguſtum decus, quo nullum in univerſo terrarum orbe vel maius eſt, vel illuſtrius, primi ex omni Germanorum memoria Saxones in Saxoniam intulerunt, et deleta Langobardorum potentia, Romanos ad deſiderium obſequendi inclinatos, regno Germanorum aeterno foederis vinculo devinxerunt, nec quisquam huius rei gloriam eripere Ottoni potuit, quem magni cognomine diſtinxit poſteritas, et tanquam Germaniae Herculem, vindicatis a ſervitute Quiritibus, caput Vrbium Roma multum et merito collaudavit. Huius ſimiles poſteri antiquae Saxonum neceſſitudinis veſtigia oſtendunt, et priſtina virtutis exempla imitatione confirmant, et dignitatis lumen nulla temporum caligine obrui patiuntur. Clementia, manſvetudine, conſtantia, humanitate non concedunt maioribus, et virtutem in luce poſitam conſimilibus factis illuſtrant, et gloriam beneficiis quotidie augent. Non hic opus eſt fabulis, et ſuperſtitio numeri invitio ponitur, maximeque a nomine et diſciplina moris Chriſtiani abhorret, atque eo minus vos decet, veros quippe et ſalutaris ſapientiae alumnos. Valeant nugae veterum, et commenta faceſſant, quae veſtris cogitationibus conſiliisque non reſpondent, et inſtituta, atque officia recte pieque ſentientium impediunt ac remorantur. Etenim ſpe verae laudis fructuque ducti, vos a turba hominum, praemia virtutis aſpernantium, ſeiunxiſtis, et labores moleſtiasque pertuliſtis, neque ab officio, quod ſapientibus convenit, diſceſſiſtis, et ideo ornamenta atque inſignia honoris, quem ſapientiae ſtudia tribuunt, amplisſimorum Patrum, ad quos ea res pertinet, ſuffragio obtinuiſtis, certaminibus defuncti, non in ſolitudine et angulis, ubi ſe obſcurum vulgus abſcondit, et ſapientiam ſimulat, ſed in luce Academiae, quae duobus ſeculis ſplendorem antiquum ſervat, et ſecundo rerum ſuarum ſucceſſu, divino conditoris auſpicio fidem numeri felicis implet. Ita Deus immortalis remuneratur virtutem, et praemia conſtituit, mercedemque rerum ſapienter geſtarum, his praeſertim, quibus conſtantia praeſidium affert, ut Minerva optabat quondam, et Telemachum, ut de virtute ſemper cogitaret, enixisſime admonebat, et nullam ſine ratione, et doctrina laudem eſſe, declarabat; animos autem tales efflagitabat, quales in vobis dudum animadverto, ingenuos, et acres, laborumque patientes, et ignem ipſum ardore imitantes, qui non in ſtipula et paleis, quas ventus diſſipat facile et diſiicit, ſed in ſolida et ſtabili materia perpetuum habet caloris, qui ad virtutem incendit, alimentum.

XXXIII.

Gratiarum actio, quam, finita renunciationis ceremonia, ſecundus artium bonarum doctor creatus in panegyri recitavit.

ETſi gaudeo, has dicendi partes mihi eſſe creditas, in quibus ſumma eſt laus pietatis et officii gratias agendi Deo maxime, et deinde iis, qui ſtudia noſtra liberaliter adiuverunt: tamen doleo, me oratione tenui non poſſe ſatis declarare meos, commilitonumque meorum intimos ſenſus, et voluntates teſtandi obſequii cupidisſimas erga noſtrum Magiſtratum, et praeceptores. Ingens omnino Dei beneficium eſt, quod non ſolum condidit genus humanum, ſed etiam tradita ſalutari doctrina, ſe patefecit, et ſacrum ordinem, miniſteriumque inſtituit, quo vult eam in orbe terrarum propagari. Nullum igitur maius beneficium homines hominibus impertire poſſunt, quam veram coeleſtemque divinioris verbi ſententiam, in qua confirmanda et exponenda

nenda fideles ac ſeduli doctores atque interpretes ſocietatem operae et laboris cum Deo coniungunt, et auditores non contumaces ad eius amorem cultumque adducunt. Nam ut a matre foetus fovetur, et alitur: ſic in ſinu et gremio parentis piorum eccleſiae naſcimur, nutrimur, et vigemus, doctrinasque utiles percipimus animis, et memoria cuſtodimus, Dei ope, et cura ſcholarum, in quibus leges et literae a vitio et barbarie vindicatae florent ac retinentur. Noſter equidem hic coetus per duo ſecula ſtetit, et floruit, magnumque numerum eruditorum in omnes terrarum partes emiſit. Quod Dei numine providentiaque fieri intelligimus, et ut illud almae matris noſtrae gaudium perpetuum ſit, toto pectore Deum quaeſumus ac rogamus. Omnino fatemur omnes, recte nobis, diligenterque traditam eſſe coeleſtem doctrinam, et philoſophiam, ac cetera literarum ſtudia, quibus nihil utilius alii aliis dare, tribuere, et largiri poſſunt.

Ago igitur gratias ſumma animi religione Deo immortali ac aeterno, Patri Ieſu Chriſti, conditori generis humani, et conſervatori in primis ſacri coetus, atque eccleſiae ſuae, cum Filio ab aeternitate genito, Deo Dominoque noſtro, in crucem ſublato, et paſſo, ac mortuo, et a morte rurſus excitato, Spirituique divino, donorum coeleſtium auctori, et conſolatori noſtro, quod coetum ſibi inter nos colligat, et periclitantem verbi coeleſtis veritatem conſervet, ac ſtudia doctrinae perire non ſinat, ſed ea ab iniuria malevolorum defendat, et Academiam hanc praecipue contra quorumvis hoſtium inſidias praepotenti dextra etiam nunc tueatur.

Poſt Dei immortalis, quae in nos extant, beneficia, neceſſe eſt potentisſimo Sarmatiae Regi, Principi noſtro Electori gratias agamus, qui honori literarum conſulit, et privilegia ab Auguſtis Imperatoribus conceſſa defendit, atque confirmat, et gratia ſumptuque nos iuvat, et ſublevat, ut dignam laboribus mercedem capiamus, quem Deus magno patriae et Academiae emolumento incolumem ſemper fortunatumque praeſtet, quandoquidem ſummo et incomparabili maiorum exemplo literarum ſtudia ornat et provehit, ut Dei recte colendi diſciplina, et honeſta inter homines officia, ornamentaque literarum conſerventur. Maxime vero idem ille Nutritor Academiae et propugnator maximus hodie teſtatum reddit, placere ſibi conatus noſtros, et ſpecimina doctrinae publica, quae honoribus remuneratur, et beneficiis ſingularibus cumulat atque exornat.

Tum gratias ago Principi Regio et EL. Saxoniae Heredi Sereniſsimo, eidemque Academiae huius Rectori Magnificentisſimo, Deum orans, ſervet nobis protegatque Principem iuventutis, ſolatium patriae, delicium Saxoniae, et firmamentum publici honoris.

Deinde gratias perſolvo debitas Perilluſtribus Excellentisſimisque Regis, et Principis Regii Legatis; Prorectori item Magnifico, et inclytae Lipſienſis Academiae Legatis longe graviſsimis, qui honoris noſtri cauſa adeſſe, et propenſos in ordinem noſtrum animos teſtari libenter et prolixe voluerunt.

Poſtremo aequum eſt, ut obſervantiam profiteamur Academiae Patribus, et ſpectabili inprimis Decano, amplificatori honoris noſtri, et patrono ſingulari, et reliquis praeterea Profeſſoribus, Doctoribus, ac Magiſtris, omnibus et ſingulis Hoſpitibus, qui ad ornanda ordinis noſtri ſolennia benevole convenerunt, gratos nos, et ubicunque occaſio dabitur, ad officiorum vicisſitudinem promptos ſimul paratosque fore, ultro et ſancte pollicemur.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0152-3 DFG

XXXIV.

Programma Academiae ad Orationem Alumnorum nomine recitandam publice auditores invitans.

ILlud praecipue nobis laetandum et parenti ſtudiorum merito gratulandum eſſe arbitramur, qvod Dei immortalis benignitate, peractis ſecundi Academiae ſeculi ſolennibus, novum tertiumque matris almae ſeculum, maxima totius Saxoniae celebritate, paucis abhinc diebus, prospere auſpicati ſumus. Non hominum, ſed nationum concurſus fiebat, nec una civitas tantum, ſed tota regio noſtra ſe effundebat ad pompam ſpectandam, qvam ſplendiſſimi regales Legati, et graviſſimi Proceres, qvi honoris noſtri cauſa huc miſſi, ſua illuſtri praeſentia, et conſpectu iucundiſſimo, ſolenniorem pariter, atqve inſigniorem reddiderunt. Machinarum fragores, tubarum et tympanorum ſonitus, aeris Campani pulſus, fidium concentus, varietates vocum et modi ſvaviſſimi, mirificus gratulantium plauſus, et laeti bene precantium ſermones certatim exaudiebantur. Cultus elegantiae et ſplendor, hoſpitum benevolentia et comitas, patrum incives amor, civium inter ſe conſenſio exemplum concordiae praebuerunt poſteris, et inprimis valuerunt ad coniungendas eorum amicitias, ut idem ſentirent et facerent, nulli ab aliis diſcreparent. Morum diſſimilitudo novi auſpicio ſeculi repente mutata eſt, qvos Deo dicatos piis votis proſequor, et iam arcto inter ſe amoris nexu conſtrictos, per decus, qvod modeſtiae et tranqvillitatis ſtudio ſibi pepererunt, obteſtor et moneo, ut eam poſthac laudem ſibi integram ſervent, et perpetuam inter ſe pacem colant. Non alia mens noſtris profecto Alumnis eſt, inter qvos ſumma pariter eſt animorum coniunctio, et grata erga Regem pietas, ut ſummum Regis in ſe beneficium ſermonibus concelebrent et agnoſcant, eiqve ſe devoveant, ac totos tradant. Vident ipſi et reputant, fortunatos eſſe Reges, qvi literarum ſtudia fovent, et amore complectuntur. Cogitant identidem, et mirantur, Reges Aegyptios ab Lago ortos, tantisper fuiſſe fortunatos, dum ſua eruditis ornamenta ſervarent, Hoc magis Saxonia ſtabit firma, et florebit, qvae literarum dignitatem regiis omnino beneficiis tuetur. Qvod aetas noſtra vidit, et nudius qvintus admirata eſt, cum regali ſumptu ſublevaret nos et locupletaret. Id qvod tale et tantum eſt beneficium, ut nemo Saxonum ex omni antiqvitatis memoria poſſit recordari. Munere eius tranqville vivimus, et omni felicitate fruimur, et Principe unico Regis filio, Rectore coetus noſtri magnificentiſſimo gloriamur: huius praeſidio defendimur, huiusqve ope et auxilio in rebus adverſis erigimur plane et confirmamur. In hoc argumento verſabitur oratio *M. Chriſtophori Henrici Zeibichii*, Adſcripti meritiſſimi, Alumnorum anteſignani, qvi ſtudet, ut Regis memoriam qvam maxime longam efficiat, et tanti Herois divina in nos merita poſteris tradat. Valet ingenio *Zeibichius*, et dicendi copia abundat, hodie ab hora II. qvae in nos contulit, beneficia commemoraturus, et ingrati crimine ſe et Alumnos, qvorum interpres erit, liberaturus. Conſurgite Cives, et approbate pietatis ac obſeqvii ſpecimen, qvod poſt orationes, more maiorum a nobis, et Patribus, in templo arcis habitas, in *Panegyri* publica editurus, et graviter confirmaturus eſt, FRIDERICI et AUGUSTI divorum Principum EL. praeconia in FRIDERICOS AUGUSTOS Patrem et Filium, convenire, in qvorum referendis, et exornandis laudibus piam, et luculentam, ac cive et alumnorrm officio dignam ille operam ponet. Adeſte freqventiſſimi Cives, et nobiscum favete dicturo, et vota ſimul pro maximo Rege, et pro Filio, Rectore Magnificentiſſimo facite, ac pietatis ſenſum, ut par eſt, inter publicas Patrum procerumqve acclamationes, novo, et continuatae apud nos laetitiae exemplo, deinceps in Auditorio maiore, noſtro et Patrum, qvi pro alumnis curant, inſtituo, prompte et ſubmiſſe omnes ſinguli declarate. P. P. Dom. XIX. poſt TRINIT. Anno clɔ. Iɔ CCII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0153-9 DFG

XXXV.

M. CHRISTOPH. HENR. ZEIBICHII,

Ordin. Philos. Adscript.

ORATIO SECVLARIS,

IN AVDITORIO MAIORE

dicta.

SI quantum gaudii, tantum animi fiduciaeque in ornatissimum hunc aptissimumque dicendi locum afferrem; Si de argumento ponderis ac momenti minoris, nec eo adeo, quod res gestas, posteris mirandas quoque complectitur, quaedam exponere instituerem; si denique in circulo hominum quorumvis, nec adeo eorum, quos nulla divinae humanaeque scientiae pars fugere ac latere potest, dicere conarer: Tum sane causas haberem nullas, cur animo tantisper meo, viribusque diffiderem, et in alio, quam hoc Eruditorum loco, versari mallem. At enim, non omnis aetatis nostrae laus consistit in verecundia, partem sibi quoque vendicat obsequium, inprimis cum eo tempore, quo festis undique gaudiis templa resonant, ac domus, et simul ab iis, quorum multum apud nos valet, et aeque multum apud omnes valere debet auctoritas, ad dicendum publice evocamur.

Illuxit scilicet volente Deo, ac de quo perpetuo triumphent, ac suo velut in sinu gaudeant, quotquot Almae nostrae bene cupiunt Matri, felicissime illuxit Dies Academiae Natalis, et ille quidem, quem singulis celebrare assolet seculis, quemque secunda iam numerare vice, a Numine supremo datur. Respirant nunc denuo pressae Academiae res, Ipsa, discussis tenebris, quas aliquando patiebatur, refulget, malevolorum artes, quibus circumscripta subinde fuit, eludit, tota se erigit, ac velut de carcere suo prodire coepit. Votivae omnium acclamationes hisce diebus personuere, neminem enim vel ex disitis adeo advenisse locis existimo, qui non in tanta laetantium communione vota pro salute nostra conceperit, Matrique optimae saluberrima quaevis et incrementa, incrementorum maiores subinde maioresque accessiones tacita quadam veneratione mentis fuerit apprecatus. Procul omni dubio singulari Dei immortalis munere ac providentia id nobis contigit, quod summa pietate Deo publice ac solenniter persolvere grates, laudesque quantas concipere vel animis nostris possumus, reddere queamus. Ea est haec beneficiorum, quae nostrae Academiae praestitit praepotens ac supremum Numen, memoria, quam sanctam semper custodire, quam instaurare singulis momentis, summaque contentione transferre ad posteros decet.

Salve proinde denuo, elapsa licet iam tum, salve Festa Dies, ubertate divinorum munerum prosperrimoque eventu et successibus felicissimis quam maxime felix!

Hoc demum autumnale tempus est, quo, uti mundi haec universa moles et vitae nostrae solatia coelique lux, qua fruimur, creata primum ac nata haud immerito existimantur, ita quoque eodem illo divino quodam consilio Academiam nostram, lucemque adeo, quam tempore inprimis sequiori ad ultimos usque terrae angulos diffudit ac propagavit, primum prodiisse, pie credimus et asseveramus. Equidem vix nobis quicquam vita, quam ducimus carius, spiritu quem trahimus, iucundius, aut de quo magis simus solliciti, erit; Attamen haec ipsa vita non saltem langvere, sed occisa quodammodo et mortua videtur mihi, quae literis careat, quaeque Religionis ac salutaris doctrinae subsidiis destituatur. Vtraque vero vitae haec nostrae solatia nata merito reputantur, cum Academia nostra prima infantiae suae fata experiretur, partuque velut auspicatissimo excluderetur. Haec ea sunt, quae hactenus gaudio nos cumulant ac fere obruunt; haec ea sunt, quapropter plurimi vestrum, Auditores, in vosmet ipsos veluti abducti, felicitatem dierum

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0154-5 DFG

rum tacita veneratione mirati, votisque devotissimis prosecuti estis; haec ea denique sunt, quae omnes veluti sensus laetantium penetrarunt, et incredibili quodam voluptatis genere exercuerunt, imo quae Vestrum plurimis, Patres pie sancteque venerandi, cum diem vestra aetate minime redituram recoleretis, inundantis gaudii lachrymas expresserunt. Confluunt in societatem laetantium omnes, partem quoque communis gaudii locorum spatiis distincti ambiunt, eamque iure quodam suo sibi vendicant. Exultant Patres, praeconiisque publicis solemnia nostra illustriora reddunt. Pubes lectissima, iuventus florentissima in spem Patriae nata, gestu oculisque laetitiam prodit. Absit a nobis proinde, et cum Alma nostra velut ἴσις quaedam πολύμαστος nobis prae omnibus, quos alias alit, ubera admoveat, longissime absit, ut nobis ulterius temperemus, nec potius effuso animi affectu, quod tacito velut sub pectore conclusum gessimus, largiter effundamus. Diuturni nostri silentii, quo his temporibus, usi sumus, finem hodiernus dies affert, nobis, qui inusitatam superiorum clementiam, Deique nostri inprimis incredibilem ac vere divinam benignitatem, taciti nullo modo praeterire valemus.

Ita FRIDERICE AVGVSTE (quidni enim absentem longius velut coram positum alloquerer, cui alias animo piaque reverentia nunquam non praesentissimus ero) Ita Rex Potentissime, Domine longe clementissime, Tuo velut advolvimur throno, quotquot nostrum munificentia Tua non rivulis saltem humectat, sed maribus veluti effusis inundat. Ita quoque pie respicimus TE Princeps Serenissime solemnium nostrorum Praeses, FRIDERICE itidem AVGVSTE, repuerascentis Academiae RECTOR MAGNIFICENTISSIME; Nae hominum ingratissimi, iisque, quos bonae mentis usus deserere coepit, simillimi simus, nisi indulgentiam VESTRAM summamque Clementiam laudibus, iisque debitis ad coelum usque eveheremus. Fridericum Fundatorem, Augustum Conservatorem Academiae nostrae veneramur. Divina prorsus sunt beneficia, quae ab utroque in Matrem nostram cumulatissime manarunt. Aeque magna cum sint a FRIDERICIS AVGVSTIS, quos propitium Numen servat, nobis hucusque praestita, non abs re ac tempore fore alienum existimo, si in praesenti, dum quaero undique et circumspicio vias, quibus in gaudia mea erumpam, si inquam FRIDERICVM ET AVGVSTVM IN NOSTRIS FRIDERICIS AVGVSTIS DENVO VIVENTES animis vestris exhibuero. Date illud, Auditores, Beatissimis Principum Divorum Manibus, date et denique id pietatis, quae has dicendi partes mihi imposuit, et breviter dicturo animos auresque accommodate. Sunt nonnulla ex iis quae dicturus ero, diebus nuperrime elapsis, Patribus Venerandis praeoccupata velut et sic exposita, ut diutissime Auditorum animis iam tum inhaerere possint; At enimvero liceat mihi, quod Laurentio Rhodomanno, cum centum iam elapsis annis in solemnibus his publice loqueretur, tum licuisse lego, scilicet fatetur ipse, Hunnii partim pietatem partim vero etiam divinam Taubmanni Poësin quaedam ipsi praeripuisse; At enimvero δὶς τὰ καλὰ bis dicenda dicit, quae pulchra, et seriem deinceps orationis suae uti antea intenderat, pertexit. Nihil obstare videtur, quo minus Viri vestigiis insistam, et promissi memor, de Friderico primum quaedam commemorare ingrediar.

FRIDERICVS ille est, quem Academia nostra in cineribus licet suis sepultum, Parentem adhuc veneratur, cuius incredibilem in se affectum religiose depraedicat, cuius monumentum et si quae adhuc dantur ossa, pie exosculatur. Principem nomino dotibus quibusvis excellentissimis nobilitatum, Principem non solum cum primis aetatis suae comparandum, sed pluribus quoque natu maioribus haud immerito anteponendum. In eo sane natura, quid efficere posset, experta videbatur. Corpus si spectes, tum sane gloria Domui Saxoniae velut propria, qua Principes longe formosissimos educavit, haud dubie ad eum pertinebat. Parum aliquando aberat, cum Anno seculi sui nonagesimo tertio in Syria Religione ductus, consisteret, dum sola delicata manuum mollitie a Turcis agnitus in summum vitae discrimen adduceretur. Christophorus Scheurling, quando Bononiae in laudem Germaniae, Ducumque Saxoniae orationem publice habebat, in Friderico nostro faciem luculentam, caesariem perrectam, os probum, frontem verendam, vultum amabilem, formam denique plane egregiam atque

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0155-0 DFG

magnificam, plenam dignitatis, plenam ingenii, plenamque pudoris maximopere dilaudat. In tabula, nobis ad dextram posita, felicissime haec omnia expressa pervidemus. Pulchrum est haud dubie et ferme egregium, naturam in bonis corporis distribuendis habuisse benevolam; Atenim, cum vita desitura haec dona Noster existimavit, qui animo superare, quam corpore alios malebat.

Virtutes quasdam commemorare incipiam, omnes exponere, nec virium est nec voluntatis. Sic in omni didicerat versari vita, ut semper optimarum partium existimaretur et esset. Imperii fluctibus se committere, iisque velut maritimis iactari, minime volebat. Post obitum Maximiliani I. locum huius obtinere facillime potuisset, at enim honores illos minime petebat, imo cum vel maxime paterent, recipere recusabat, ad Carolum potius eos transire patiebatur, animo tam aequo ut cum hic grati animi significationem facturus, auri quodam pondere ditiorem reddere Fridericum vellet, munera magnae pecuniae deprecaretur. Pacem praeferre bello per omnem vitam consueverat, et dum a militandi negotio cives subditosque avocabat, otii nomine libertatem summam conciliabat. Alios cum universa Regione sua decem annis vix unam occupare urbem dicebat, se vero paucis diebus quibus consilia et prudentiae artes adhiberet, quietem universae suae regioni procurare posse. Erfurdiam facile occupari iniuriasque illatas vindicari posse, nec quinque militum sangvine expugnationem urbis staturam esse nonnulli aliquando in consiliis dabant; At enimvero hoc responso: Anne tu, qui ita consulis, unus ex illis quinque eris vel esse velles? intempestiva consilia eludebat.

Adeo nullam contumeliae adhibebat memoriam! Altius iam provehor, ac de amore, quo in bonas literas, iisque egregie excultos ferebatur, commemorabo. Ipse disertus erat, ut pauci pares tunc ipsi eloquentia essent, literas etiam attigerat alias, sapientissimeque agendo illud consequebatur, ut Sapientis nomine communiter salutaretur. Divus sane Lutherus, cum Fridericum atque Ioannem alicubi inter se contendit, huius benignitatem, illius autem sapientiam primo loco miratur, Ioannem Fridericum, Principem tunc Iuuentutis miraculum fore pronuncians, quando hae Patrui Patrisque virtutes amico quodam foedere in eo coniungerentur. Fere nunquam sine aliqua lectione aut commemoratione dicti cuiusdam vel ex Seneca, vel ex alio quoque auctore desumpti, apud Fridericum coenatum est; eos dum vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent, Fabian a Fülitzsch, Haubold ab Einsidel, imo et Mellerstadius saepissime mensae eius assidebant. Lingvam Germanicam, qua ratione excoluerit, eamque nitori suo redditam, ceu instrumentum actionum negotiorumque publicorum introduxerit, cum Monachi latina saltem, eaque inquinata, et Evandri matri vix intelligenda creparent, prolixum nimis enarrare foret.

Comitiis et conventibus Imperii publicis frequens admodum intererat, et certe non tantum aderat, quin consiliis inprimis sapientissimis adfuisse, facile intelligitur ex eo, quod modo Imperii oraculum, modo sapientiae cuiusvis domicilium, consiliorum thesaurus, Imperii columen, Maximiliani Consiliarius supremus, crebrius subinde salutabatur. Dicerem alia, quibus scilicet encomiis beatissimus Princeps a Luthero nostro condecoratus et ob sapientiam summam laudatus fuerit subinde, nisi ad ea, quae VVitembergam Academiamque nostram propius attingunt, deproperandum esset. Temporũ, quae tunc erant, consvetudini aliquid tribuens Fridericus, Palaestinam, locaque Servatoris Sanctissimi miraculis nobilitata oculis perlustrabat. Variis vero periculis terra marique defunctus, eo inprimis, quo Mellerstadius, cum haustis liberius Cretensium vinis, in balneo consedisset, eundem liberabat, grates meditabatur Deo; aliorum insuper exemplis, qui in Scholis constituendis industriam suam approbaverant orbi, Polichii porro Staupitiique monitis, imo quod maximum erat, autoritate Imperatoris Maximiliani I. in Comitiis anno seculi sui nonagesimo quinto, excitatus, consilia de erigenda Academia agitare coepit. Selectum quendam locorum habiturus, ex Polichio quaesivit, quemnam inprimis locum alendae Academiae aptum reputaret? hic cum VVitembergam allegasset, vix risum continere potuisse Fridericus fertur, cum steriles arenae, alendae alumnorum copiae vix sufficere viderentur. At enimvero dum Mellerstadius in animum revocabat Principi, locum hunc esse, ubi Maiores dignitatem,

qua

qua ipse gauderet in praesenti, adepti essent, addito simul velutque edito vaticinio, condendam h.l. Academiam omnes Germaniae reliquas luce sua esse obscuraturam, omen accepit, votique complementum serio exoptavit. Remoris, quae undique arduum hoc opus intercipere videbantur, strenue reiectis, Aulicorum etiam quorundam superatis insidiis, Octobris decima octava dies inaugurationi solenniter dedicatur. Parum abfuisset, quin nox diem commemoratum antegressa, moleste sedulorum quorundam artibus adhibitis, saluberrima consilia evertisset, et sane vicisset vis clandestina, nisi Mellerstadius, primus Academiae Rector fuisset. Fatidico etiam velut sermone, D. Fleccus Monachus, sed tamen a Missae abominandis alienus, praedixisse fertur, cum ipso inaugurationis die publice populum edoceret, fore scilicet, ut ab hoc albo monte totus Christianorum orbis sapientiam sit mutuaturus. De vaticiniis Husi et Ioannis Hiltenii, quem Apologia nostra commemorat, nihil quicquam recensebo. Sane quae Dei nostri laus sit, dictis respondit eventus. Sub Auspiciis Serenissimi Friderici omnia stupentibus ringentibusque hostibus ac veritatis proditoribus, felicissime omnia procedebant.

Longum foret eventus plurimos, quos nisi miraculis, mirandis sane annumerare licebit, tempore emendationis sacrorum conspicuos, prolixius exponere et recensere. Tum vidisses (quod beneficium gratia Dei nobis hucusque mansit) eiici Daemonia, cum doctrina de sacro lavacro ac reditu ad Deum sincere proponeretur, tum lingvis novis loquentes audivisses, cum scripturam dextre et ex mente Divini Spiritus interpretarentur; Serpentes pellere incipiebant, cum pessima docentes criterio notatos evitare docerent; venena innoxia bibebant, dum meliora edoctis dissentientium libros pervolvere, ac errores sic eo detestari magis licebat; Aegrotis manus imponebant, et melius sese habebant, cum delictorum veniam, imposita, boni signi causa Ministri manu, consequerentur. Ossium hic exercitus, quod Ezechieli quondam contigit, quem Spiritus divinus animabat, conspiciendus erat. Iacuerant piae animae diris vinculis innexae, morteque velut sub Episcopi Romani arbitrio extinctae; iam vero spiritum, salutari iterum doctrina allucente, resumebant. Circumferebatur tum temporis vaticinium, de Friderico quodam Imperatore venturo, cuius auspiciis sepulcrum Domini recuperandum vindicandumque esset. Fridericum haec nostrum complevisse, cum fiducia affirmo, quando Academiam gloriam Servatoris vindicaturam adornabat. Sacellum primo, quod Rudolphus II. ut spinam ex corona Servatoris, sangvine eius ut ferebatur, tinctam, a Valesio Galliarum Rege donatam, ibi reponeret, aedificaverat, sacellum, inquam, illud quod arci contiguum erat, in splendidum erigebat templum, ducentorum aureorum millium, Spalatino teste, impensam faciens, Collegium, quod vetus hodie vocamus, aedificabat, praeter Fanum Antonii, ac coenobium Franciscanorum, Augustinianorum quoque sumptibus mirificis excitavit, collegium quoque Capitularium sex Praelaturis, uno officio et quinque Canonicatibus constans, in templo ad arcem instruebat, templo denique sumptibus manu benefica datis, ornatu item sacro clementissime concesso, splendorem conciliabat, omnia eo fine, ut Academia cum invidia hostium maiori exsurgere posset. Quod itidem fiebat, sex saltem effluxerunt menses, et Rectore Mellerstadio quadringenti et sedecim in studiorum album referebantur, id quod Divo Principi adeo gratum exoptatumque accidebat, ut cum aliquando obiiceretur ipsi, quod liberos non haberet, neque uxorem duxisset, responderet: Desine de uxore mihi exprobrare, filiam iam, eamque carissimam longe in Academia mea suscepi.

Dignitas pro seculi more Academiae nostrae quaerebatur etiam in eo, cum quarto Non. Februarii anno supra sesquimillesimum secundo, Raymundus Cardinalis, Pontificis nomine eandem confirmaret, multaque superstitiose agendo, Deos quosdam velut Academiae tutelares, Theologis Paulum vel etiam Augustinum, Iurisconsultis Ivonem, Medicis Cosmam et Damianum, Philosophis Catharinam, ab innocentia vitae celebratam, praeficeret. Grande ambiguumque suscepi negotium, Auditores, de Friderico Magno Academiae Parente dicere ingressus, omnia enarrare maius molientis viribus opus est, nihil me dixisse arbitror, si copiam eorum, quae afferre potuissem, attendo. Fridericum saltem, filia desideratissima Academia, ita adhuc in-

tuetur, ut erepti defleat cladem, lachrymis vel in hoc uno medicinam quaerens, quod cineres Magni Parentis foveat, et vel horum possessione adhuc locupletatam se maximopere ac confirmatam profiteatur.

Ingentis proinde atque excelsi animi Princeps abierat ad plures, destinatorum ordinem fatum veluti aliquod, cuius arcanas rationes religiosius nescimus et veneramur, quam exquirimus curiose et non assequimur, vi subitanea rumpebat. Et habuisset, quod perpetuo ploraret Academia, nisi Principes, nulla aetate intermorituros, excitasset, qui Academiae suae invigilabat, Deus, inque eorum numero AVGVSTVM, de quo nunc pauca commemoro, elucere inprimis voluisset. Constat inter omnes qui de Augusto memoriae prodiderunt, si pietatem, si sapientiam, si iustitiam denique et industriam si respicias, eo nihil excellentius fuisse. Arbiter Imperii, Arbiter Regum communi titulo nominabatur, Ferdinandum I. Maximilianum, Rudolphum etiam II. nihil quicquam, quod grave alioquin ex expeditu difficile erat, suscepisse legimus, nisi Augustum primum in consilium adhibuissent. Oraculis divinis et sacris emendatis, qua fide quaque constantia inhaeserit, nemo, disertissimus licet, facile eloquetur. Calvini dogmata sequentes, rabie velut sua effusi, vi ad deteriora pertrahere Principem annitebantur, at copiis velut amplissimis contractis, bellum contra hos omnes feliciter comparabat. Christianus Schützius, a concionibus Augusto, Georgius Krakau a consiliis sanctioribus, Caspar Peucerus custos corpori Eiusdem datus, inquinamenta varia, maculasque Calvianas animo Principis minitabantur. At enim artes feliciter eludebat, inprimis cum res deveniret eo, ut Concordiae Formula sumptibus primum quam plurimis, octuaginta scil. florenorum millibus adhibitis, publice solennissimoque ritu susciperetur. Naumburgi, anno seculi sui sexagessimo tertio, cum Theologis conveniebat, opera inprimis Stoesselii, Moerleni aliorumque inquisiturus, ubi editiones A. C. sequiores Avtographa sua sensumque primo intentum deseruissent. Subscriptionem quarundam articulorum ab omnibus Theologis requirebat, ubi demum Calvini socii passim hic ibi latitantes titubare ac de rebus desperare suis incipiebant. Fraudibus equidem circumvenire Augustum Peucerus allaborabat inprimis, at ex latebris extractus ab Augusto, qualis esset, facile agnoscebatur. Bibliorum codicem Calviniani saltem in templo eius ad arcem et loco sanctiori ad usus quotidianos deposuerant, sentiens illud Augustus, loco eius confestim alium ex versione Lutheri substituebat. Quo amore Theologos, virosque verae eruditionis laude nobilitatos, fuerit prosecutus, illi exponant, qui mecum de nimia in dicendo infantia non conqueruntur. Saltem aliquid de munificentia, qua Academiam nostram, nosque inprimis, qui Alumnorum nomine iam pietatem testamur, amplexus fuit, commemorare ac depraedicare decet. Omnes Academiae donationes, immunitates, omnia iura ac privilegia, miris accessionibus auxit, aucta mirifice confirmavit. Alumnorum numerum amplificavit, censusque ampliores hoc nomine consecravit. Concertationibus eruditis inter eos instituendis, aedes, ab heredibus Lutheri magnis sumptibus emtas, destinabat. Bis mille modios frumenti quotannis in subsidium mensae publicae erogabat. Anno sexagesimo sexcentos iterum florenos una consecrabat vice, in gratiam inprimis eorum, qui Legum studiis addicti, peregrinationes praxeos causa hactenus instituissent. Res fidem excedere videtur, at enim certa est, et luce meridiana clarior, intra quatuor annos supra quinquaginta millia aureorum, quae dimidium auri tonnae, quod hodie dicitur, aequant, in solam hanc Academiam Augustus conferebat, eo sane liberalitatis exemplo, quod nulla satis posteritas unquam poterit mirari. Hic adeste, quotquot in perniciem bonarum literarum nati et facti velut a natura estis, huc adeste quotquot Iuliani similes claudendas potius Scholas existimatis, quam aperiendas, Augustus est, in cuius transire mores res est, quae ab interitu nomen omnium maxime vindicare potest. Arbores hic sevit posteritati, spem laetus praesumsit, fructus carpserunt Nepotes. Laetamur omnes, Dive Auguste, de tam profusa annorum tuorum liberalitate, nunc demum intelligentes, quanti facienda sint haec nostra Musarum solatia. Cuius spiritum inter coelites mille gaudiis triumphare scimus, eiusdem exuviis cineribusque placidis-

cidisſimam quietem, Patris velut tumulo admoti, apprecamur.

Hactenus, Auditores, beate defunctorum deflemus obitum, et illaetabile officii genus beatis manibus praeſtamus. At enim vel maxime confuſi et obſtupefacti luctu animos attollimus rurſus, felicitatemque denuo nobis affulgentem attoniti admiramur. Quae Fridericus et Auguſtus ſigillatim in nos cumularunt beneficia, ea ſimul et velut de novo a FRIDERICIS AVIVSTIS, quos pietas noſtra obſequiis religionis pleniſsimis deveneratur, collata videbuntur. Qui oraturi accedunt Numen, in illam fere coeli ſe plagam convertunt, unde diei exordia fulgent; Unde lux noſtra hactenus primum prorupuit, eo pectore ardentisſimo haud dubie primum convertor. TE FRIDERICE AVGVSTE Rex Clementisſime, Nutritor indulgentisſime, Hercules Hectorque Teutonice, Te inquam Maiorem, per tot Heroum maximorum ſtemmata decurrens, vix aliquis inveniet, Attollerem ad Te mentem oculosque, modo ferendae Maieſtati Tuae pares viderentur. Mille inter gaudia, pedibus advoluta Tuis conſpicitur Academia, Friderici TE nomine vocat, et res ſuas quam tranquille geſtae fuerint atque tranſactae, miratur, propterea, quod Tuis auſpiciis fuere perpetratae. Auguſtum in TE porro veneratur et colit, cuius clementia res ſuas ad ſumma creviſſe videt. Florenorum aliquot millia, excellentisſimo munificentiae exemplo, non ita pridem eſt, in Academiam hanc contuliſti, et pietatem adeo, qua TE ſubmiſſe veneratur, algere ſic minime voluiſti, Teſtetur publicus dicendi diſſerendique locus, in quo conveniunt Alumni, quantam res noſtrae ab eo tempore, quo ſceptra publica capesſis, quantam inquam vivacitatem acceperint, ac robur. Vix muſas ibi habitantes quondam in eo auditorio quaeſiviſſes, loci alias ignarus, muſco omnia ſituque velut obſita, nil niſi miſera quaedam antiquitatis veſtigia referebat, cathedra nutare incipiebat, et ſi quis habitior aſcenderet, lapſum vel in medio orationis minitabatur. Iam vero nitore ſe ſuo omnia commendant, oculoſque perſtringunt, imo amoenitate quadam invitant, ut ibi etiam communia Academiae gaudia propalentur.

Factum eſt divina providentia, ut ex Alumnorum numero quondam prodierint ſubinde qui Eccleſiae et Rei publicae humeros ſuppoſuere, Hunnios, Strauchios, Roeberos, Perſonios, Buchneros, Sennertos, Schneideros, Queuſtedios, Meiſneros, Lyſeros, miramur alias et eorum merita depraedicamus; At tamen hi omnes Alumnorum numero fuere comprehenſi; eos non nomino, perinde tamen huc referendos, quos etiamnum Patrum ordini immiſtos coram aſpicere licet, quorum fama ea iam dudum fuit, ut nulla temporum oblivio eam unquam ſit deletura. Non equidem hac mente talia recenſemus, quaſi de nobis quotquot Regia munificentia perfruimur, paria ſint expectanda; Id dicere volebam, ea ſubſidia hodienum diſtribui, quae aditum ad ſumma eiusmodi contendenti facile aperire posſint Judice quocunque rigidisſimo vel maxime obtinere illud audemus, dotibus excellentioribus beneficiisque, quotquot Germania Academias alit, nullam hanc noſtram ſuperare. Ita quippe Serenisſimorum exemplis, Tuoque, Rex Potentisſime, qui nobis haec omnia ſervas, factum eſt, ut alii, quoque excitati beneficia Almae noſtrae copioſisſime contulerint. Subſidium illuſtre VVolff-Ramsdorfianum, Bodenhauſiorum animos in VVitembergam optime affectos, quod expertus maxime teſtor, Polichiana itidem, Sergiana et Naeviana beneficia laudibus efferremus, ſi tempus illud pateretur et locus. Adeo TE nobis natura, REX Potentisſime, advota noſtra compoſuit, quae alias, quod omiſit in Patre, feſtinando ingruente morte ad conſummationem pulcherrimi operis, oblita quaſi, ſupplevit in Filio, cuius in imagine, una et Fridericum et Auguſtum nobis reddere allaboravit.

Ad TE nunc mea deproperat oratio, coeleſte pignus, Spes Patriae noſtrae, Princeps Clementisſime FRIDERICE AVGVSTE, RECTOR exultantis Academiae Magnificentisſime! Nunc demum intelligimus Deum optimum per incrementa fortunas augere noſtras easque extollere, per gradus. Primo omnium cum Academia natalem feſtis celebraret gaudiis, Fridericus Deus velut illius tutelaris advocabatur. Centum elapſis annis, cum dies ille recurreret, Dux Serenisſimus Auguſtus, Chriſtiani II. Frater, Rector Magnificentisſimus, arbiter ſolemnium ſedebat. Iam dum denuo elapſo ſe-

culo dies desideratissima illuxit, et nomina Statorum in Friderico Augusto nostro concurrunt, divino quodam argumento, quae sigillatim beneficia ab iis fuere praestita, ea simul velut comprehensa abs TE, Augustissime Princeps, Academiae collatum iri. Raram posterisque mirandam depraedicamus Clementiam, qua REX noster Potentissimus, Parens Tuus, ad fastigia rerum, quae homini attingere datur, evectus, sumptus ad solemnia Iubilaei nostri requisita, largissima manu erogavit; At enim causam si quaeramus, TE, Princeps Augustissime, nominamus, cum enim Caput Civitatis eruditae constitutus esses, vitam hac ratione et vivacitatem per omnia eius membra diffundebas. Equidem dum alter alterum, quotquot hic amplissimo nostro convenimus, intuetur, ac secum, quod Xerxem aliquando fecisse legimus, recolit ac meditatur, post centum annos ne unicum quidem nostrum superfuturum, imo dum bene sentit, neminem adesse, qui Iubilaeo centum huic elapsis annis celebrato adfuerit spectator, parum abest, quin in fletus, suspiria ac lacrymas solvamur; At enim mittimus haec tristia, dum laetiora habemus cogitanda, TE, Princeps optime, intuemur, et toto pectore adhuc exultamus. Servet nobis haec gaudia Deus! Clementem VI. vana divinitatis opinione turgidum, Angelis iniunxisse legimus, ut, si qui Romam ad Iubilaeum tendentes, morte abriperentur, oppido eorum animas ad aeterna gaudia, minime vero ad purgatorii molestias deferrent. Aequius votum reperiri posse dubito, nisi hoc, ut sanctis spiritibus iniungat veluti Deus, quo animas, quotquot iam in Ecclesia militante exultant, ad coetus Triumphantis solemnia comitentur. Servet sanctissimum Numen Fridericos nostros Augustos, eosque nobis clementissimos servet! Faustum interpretamur omen, nec mortuos Electores et Principes VVitembergam deserere, quin urnas etiam suas cineresque nobis committere voluisse. Referant Serenissimi exempla Maiorum, nosque sua auctoritate etiam porro potentissime tueantur. Servet Academiam, nec sua confici senio eandem patiatur, avertat, uti incommoda quaevis, sic inprimis cruentas civium inter se commissas caedes, ne Rahelis instar in montibus suis filiorum necem deploret. Velut anno Climacterico superato, novas addat subinde vires, ne ubera denegare filiis cogatur. Avertat calamitates plagasque publicas, ne, quod aliquando fecit, peste ingruente, vel alio affecta malo, migrare dehinc, sedemque alibi tantisper figere cogatur. Servet insuper nobis hanc gloriam Deus, ut verbum Divinum, quod alias nitori suo redditum ex Sione hic primum egressum est, sincere, nullis admistis commentis, ad posteros traducatur. Servet Doctores publicos, Patres venerandos, et quotquot Academiae nostrae bene cupiunt, iisque haec gaudia perpetua esse sinat. Servet denique hoc in quo versamur domicilium, et nisi fractus forsan illabatur orbis, usque ad ventura quoque Iubilaei solemnia servet, ut denuo vel ex hoc loco, nobis in cineres iam dudum redactis, a diserto magis laudes ipsi amplissimae persolventur. Nos denique quotquot sumus, ita servet, ut vitae huius molestias emensi, inter Coelites deinceps sine fine triumphemus, iubilemus!

XXXVI.

INCLYTAE ACADEMIAE VVITTENBERGENSI, DE IVBILAEO SECVNDO,

GRATVLATVR

GODOFREDVS VVEGNERVS, Olf. Silef.

S. S. Theol. D. eiusque Prof. Ordin. in Academia Prussorum Regia, Concionator item Ecclesiae Aulicae secundarius.

Vbi simul de B. Fesselii adversariis continuandis disseritur.

VVIT-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0160-8 DFG

WITTEBERGA opidum Germaniae modicum est, sed famae et nominis celebritate maximis etiam urbibus nequaquam cedit. Et quia illa celebritas, praecipue ex bonorum Spiritualium magnitudine, ortum habet, non erravero, si cum BETHLEHEMO, Iudaeae civitate, comparaverim. Parvum hoc erat oppidum; sed quia Dominator in Israel ex eo egressus est, benedictus in Secula DEUS, minime parvum in principibus Iuda Matthaeo Evangelistae censetur. Nativitas Messiae Filii DEI, parvam illam urbem tam celebrem fecit, ut claritate et praestantia omnes orbis urbes antecellat. Similis in eo Templo Hierosolymae secundo, quod primo, a Rege Salomone aedificato, magnificentia et pulchritudine longe cedebat; attamen sua dignitate atque autoritare, quam a Doctore suo IESU CHRISTO, Magistro omnium eloquentissimo et sapientissimo habebat, illud longissime superabat. Dedit igitur BETHLEHEMO magnitudinem et claritatem MAGISTER, VVITTEBERGÆ autem DISCIPULUS, uterque Doctor, ille Princeps et Caput, hic servus fidelis. LUTHERUS, inquam, ortu exiguus, Monachus ante vilissimus, post Heros maximus, Doctor clarissimus, Theologus profundissimus et prorsus incomparabilis. Hic est, qui VVITTEBERGAM exaltavit, et suo nomine, fama, doctrina, et operibus magnam fecit. Cum enim hoc anno, qui tertius vestrae ACADEMIAE natalis est, FRIDERICUS III. cognomine *Sapiens*, VVittebergae Scholam, virtutis et doctrinae officinam, domicilium literarum, et praestantium virorum seminarium, conderet atque fundaret, DEI Optimi Maximi providentia, inter primos fundatae Academiae Doctores LUTHERUS quoque in hanc augustam Musarum sedem vocatus est, anno scil. illius Seculi octavo, qui, ut erat magno ingenio, ad res magnas gerendas, omne studium, omnemque laborem impendit. Non potest diffiteri aut negare ingenii laudes, Ludovicus Maimburgius, Iesuita in Historia Lutheranismi, quando scribit: *Eos fecit Magdeburgi, Isennaci et Erfordiae progressus, ut hic annos natus viginti Magister artium renunciaretur, et sodales ingenio et eruditione multum superare crederetur. Eo etiam tempore iudiciorum DEI metu tangebatur, ita ut subita cuiusdam e sociis morte, et tonantis coeli fragore et fulminis prope ferientis ictu contremefactus, relicto legum studio, quod inceperat, invitis etiam Parentibus, in monasterium Patrum Augustininianorum Erfordiae, sese abderet, receptus ab illis ob magna merita cum gaudio, quia sperabant non parvum decus ordini per illum conciliari posse. Sane in sublimibus Scientiis, quibus se assidue applicabat, ita profecit, ut mox pro maxime ingenioso et totius in Germania ordinis sui eruditissimo haberetur. Ea propter Vicarius Generalis, incrementis Academiae VVitebergensis intentus, ad concionandi simulque Philosophiam docendi munus illum evocavit. Praestitit utrumque magno cum applausu, et inter fratres suos monachos eam adeptus est celebritatem, ut Romam ad transigendum de litibus deputaretur, propter quas Ordo tunc in partes iverat. Ostendit autem in hoc negotio tantam industriam, eumque habuit successum, ut post reditum a Vicario generali iuberetur Doctoris Theologiae gradum assumere. Factum id est multa cum solennitate, Electore Saxoniae, qui concionantem audiverat probaveratque, sumtus magnifice erogante. Novus deinceps Doctor triginta annos tunc natus, magna auditorum frequentia et approbatione Theologiam et sacras literas explicavit. Ingenio erat vivido et subtili, facundus natura, et in lingva populari disertus et elegans, summe laboriosus, et in studiis adeo assiduus, ut integros aliquando dies cibo abstinens iis incumberet. Sic magnam lingvarum et Patrum cognitionem sibi acquisivit.* Cum VVITTEBERGAM, ad munus Professoris vocaretur LUTHERUS, ex initiis vitae et doctrinae *Martinus Mellerstadius*, Medicinae Doctor, quem vulgo *Lucem mundi* appellabant, dixisse de eo perhibetur, teste Matthesio Conc. I. de Luthero: *Iste monachus omnes Doctores turbabit, novam doctrinam proponet, totamque Romanam reformabit Ecclesiam: intentus enim est Prophetarum et Apostolorum scriptis legendis, nititurque verbo Iesu Christi, hoc nec Philosophi et Sophistae, nec Scotistae, Albertistae, Thomistae subvertere possunt.* Quae verba eiusdem brevius enunciavit *Philippus Melanchton*, in vita Lutheri: *Saepe dixit Mellerstadius, tantam esse vim ingenii in hoc viro, ut plane praesagiret, mutaturum esse vulgare doctrinae genus, quod tunc in Scholis unicum tradebatur.* Adeo tunc VITTEBERGA novello recentis Academiae Professore, efferebatur, et in tantae Spei Vi-

ro non parum exultabat. Nec spes illa fefellit, quoniam talis tantusque, DEI solius gratia, evasit, uti sagaces sapientesque viri praeviderant atque praedixerant, nempe *Reformator totius Ecclesiae Pontificiae*, sive, quod *Nicolaus Vlnerus* octogenarius, Vicarius Pontificius Coloniensis, ex Scriptis *Lutheri* lectis, et nomine ipsius, iudicium et omen formavit, *Lux vera Totius Ecclesiae Romanae.* Nec detrectat hanc *Maimburgius* gloriam *Luthero*, et nominis aestimationisque incrementum, VVittebergae, et alibi apud exteros adepto. Scribit enim: *Hic igitur erat in vigore tunc aetatis triginta quatuor annorum, magnaque VVittenbergae aestimatione constitutus, quem Vicarius Augustinianorum Generalis in Dominicanos immisit, qui anno 1517. indulgentias Leonis Papae in Saxonia praedicabant.* Sed quando mox subiungit: *Lutherus gloriae cupidus, occasionem inclarescendi lubentissime arripuit:* tantum abest, ut boni Historici et viri candidi partes sequatur, ut potius grande hic mendacium commiserit. *Lutherus* enim, non inclarescendi studio, sed solius conscientiae stimulis incitatus, contra indulgentias, tunc in vicinia praedicatas, calamum strinxit, tanta cum humilitate et submissione, sicut epistolae ipsius tunc scriptae testantur, ut maior esse non potuerit. Sic enim ad Albertum Cardinalem et Archiepiscopum Magdeburgensem, cum ipsi Theses contra indulgentias mitteret, scribit: *Testis est mihi Dominus Iesus, quod mea parvitatis et turpitudinis mihi conscius, diu iam distuli, quod nunc perfricta fronte perficio. Dignetur Tua Celsitudo oculum ad pulverem unum intendere, et votum meum pro tua Pontificali clementia intelligere.* Sic ad Iohannem Langum ep. 33. Lib. I. ambitionis vitium sibi imputantem, scribit suspicionem amoliturus: *Quis ignorat, quin sine superbia, aut saltem sine specie superbiae et contentionis suspicione possit quicquam novi produci? Fingo enim ipsam humilitatem nova conari, statim superbiae vitio subiicietur ab iis, qui aliter sapiunt. Cur enim Christus et omnes martyres occisi sunt? cur Doctores passi invidiam, nisi scilicet, quia superbi et contemptores veteris et inclytae sapientiae seu prudentiae visi sunt: aut quod talia nova sine consilio illorum protulerint, qui vetera sapiebant. Ista ambitiosi et claritatem nominis affectantis animi argumenta esse, quis nisi iniquissimus credat?* Haec Christiana humilitas, *Luthero* via fuit, ad huius veritatem verbo scripto revelatam inquirendam, inveniendam, defendendam, ad reformationem Cleri, et totius Ecclesiae Pontificiae, ad propriam boni nominis et existimationis apud omnes bonos famam, ad VVittebergensis Academiae claritatem, splendorem, laudemque immortalem. Actum agerem, si de *Megalandri* studiis, doctrina, libris et scriptis editis, certaminibus Theologis, factis Heroicis et plane admirandis, durante Reformatione per ipsum editis, prolixam hic narrationem instituerem, *Vobis* enim omnia illa tam nota sunt atque perspecta, ut nullis aliis, et in aliorum gratiam velle edisserere, Confessoris et Doctoris Magnanimi vitam et acta, nulla urget necessitas, cum extent variorum doctissimorumque Virorum varia de his omnibus et prolixa etiam volumina. Omnium autem ultimus existit scopus, laus et commendatio LVTHERI, eiusque summa in Academiam *vestram*, et totam Ecclesiam Christianam merita nunquam intermoritura, quae Virum quoque vetant mori, nominis fama immortalem. Felix igitur *vestra VVitteberga*, ac gloriosa, ac prae aliis omnibus celebris, quod hoc DEI organo electissimo, Academiae *vestrae* uti fruiqve datum fuit. Etenim fuit VVITTEBERGA, huius Viri opera, domicilium Verbi divini sanctissimi, hospitium verum Ecclesiae Catholicae et Orthodoxae, et seminarium Doctorum Ecclesiae in Germania, qui veritatem verbi coelestis ubique pure docuerunt, propagarunt, conservarunt, omnes uno ore Academiam VVITTEBENGENSEM, tanquam almam matrem agnoscentes et collaudantes, eique debita cum reverentia, et grati animi declaratione, omnia secundum Deum pleniori ore deferentes.

Hac mente fuerunt, Collegae, Parastatae, et Successores beatissimi LVTHERI, qui huic uni omnes, ceu Praeceptori, Patri, et fidelissimo Duci, quicquid Dei gratia et benedictione, sapientiae et doctrinae coelestis, ad propagandam Divinam veritatem, acquisiverunt ac possederunt, cum insigni depraedicatione, attribuerunt; sed magno cum foenore, cum fructu et commodo, in Academiam VESTRAM, et universam Christi Ecclesiam, redundante. Vnde et his Viris, qui ab illo tempore ibi docuerunt, maxima cum laude suus debetur honor, quo non minus ut Megalander ipse, VVITTEBERGAE gloriam atque famam illustrarunt, auxe-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0162-9 DFG

auxerunt, propagarunt. Floruerunt autem Viri, intra haec duo secula VVITTEBERGAE celeberrimi, Lumina splendidissima Ecclesiae, Columina excelsa, in quibus praealiis longe eminent, *VVenceslaus Linck*, Parastates *Lutheri* fidelissimus in Comitiis Augustanis, Vir sanctus et venerandus, quem *Lutherus* semper maximi fecit, primus Noribergensium Pastor Evangelicus, qui Ecclesiae Christi ibidem praefuit vigilantissime. *Nicolaus de Amsdorff*, Nobilis Misnicus, inter primos in Academiae matriculam inscriptus, Professor primum VVittebergensis, Theologus deinde Magdeburgensis, et tandem a IOHANNE FRIDERICO Electore 1540. constitutus Episcopus Naumburgensis, et sequenti anno a B. Luthero in auguratus. *Iustus Ionas*, Ecclesiae omnium Sanctorum praepositus, fidelis Lutheri amicus, deinde Hallensis, porro Eisfeldensis et denique Coburgensis Superintendens, *Iohannes Bugenhagius*, Pomeranus, fidus Lutheri σύνεργος, fideique verae defensor strenuus. *Philippus Melanchton*, Communis Germaniae Praeceptor ab omnibus agnitus et laudatus, solertissimus literarum sacrarum et fidelissimus Explicator, veritatis coelestis Patronus et Propugnator, inprimis strenuus optimarum disciplinarum et artium Instaurator et Conservator, qui omnem Doctrinam quasi vagam ac dissipatam collegit, et ad certam rationem revocavit, ut in Epitaphio primum conscripto celebratur. *Caspar Cruciger*, Lipsiensis, qui teste VVellero, velut alter Lutherus, et magnum Vniversitatis VVittenbergensis ornamentum fuit. *Fuit* enim *in eo* (ut ipse Melanchton in III. Declam. Tomo scripit,) *vis ingenii tanta, quantam nescio an in alio animadverterim. Tot lingvas norat, et omnes Philosophiae partes didicerat, et erat iudicii dexteritas summa: Talis Vir in vera Synodo Ecclesiae de praecipuis controversiis dicere sententias potuisset et debuisset.* *Iohannes Forsterus*, *Augustanus*, qui primus Dictionarium Hebraicum non ex Rabbinorum commentis, (ut ipse in titulo testatur,) sed ex ipsis thesauris sacrorum Bibliorum, et eorundem accurata locorum collatione depromtum, Basileae A. 1557. edidit, *Paulus Eberus*, Francus, Pastor et Superintendens VVittebergae meritissimus. *Paulus Grellius*, Islebiensis Concordantiis Germanicis, nucleum, medullam et quintam quasi essentiam S. Scripturae exhibentibus, inclytus. *Iohannes Avenarius*, alias *Habermann*, Egranus, Theologus editoLexico clarus, postea Superintendens Naumburgensis. *Polycarpus Lyserus*, VVürtenbergicus, primum Professor, Pastor, et Superindentens Generalis, post Ephorus Brunsvicensis, revocatus autem VVitenbergam, tandem Electoralis Concionator Aulicus primarius constitutus, cui Harmoniae Evangelicae Chemnitii continuationem debemus. *Iohannes Matthaeus*, Smalcaldensis, variis exiliis probatus Theologus γνήσιος καὶ ὀρθόδοξος, attamen per fraudes ab officio remotus. *Georgius Mylius Augustanus*, Theologus in luce et cruce exercitatissimus, primum Doctor et Professor Ienensis, deinde Professor et Praepositus VVittebergensis, iterum Ienensis et denique Pastor, Professor et Ephorus VVittebergensis. *Aegidius Hunnius*, VVürtenbergicus, Theologus acutissimus et profundissimus, primum Marpurgensis, deinde VVittenbergensis Professor, Pastor et Superintendens. *Salomon Gesnerus*, Silesius, primum Paedagogii Stetinensis Professor, post Stralesundensis Minister, denique VVittenbergensis Doctor et templi praepositus, ἀναγραμματιζόμενος *Sale* (videlicet *Sacrae doctrinae, Sermonis, laetitiae*) *Mons Generosus*. *David Rungius*, Pomerarnus, prius in Academia patria Gryphisvvaldensi Hebraeae lingvae Professor, deinde Theologiae Doctor et Professor VVittebergensis eximius oraculorum Mosaicorum Interpres, sed postquam cum exordio Professionis exorsus erat Genesin, cum exodio eius finivit Exodum. *Leonhardus Hutterus*, Ulmensis, per anagramma *Redonatus Lutherus*, primum Doctor Argentinensis, postea VVittebergensis Professor, praeter alia scripta Theologica Compendio Theologiae ex libris Symbolicis concinnato, Locis Communibus, et Concordia Concorde clarissimus. *VVolgangus Franzius*, Plavensis, Kembergensis primum Praepositus, postea Doctor et Professor VVittebergensis, et templi arcis Praepositus, *Theologus* (ut Epitaphium habet) *magni nominis, et Ebraeae lingvae Interpres felicissimus. Fridericus Balduinus*, Dresdensis, primum Olsnicensis Ephorus, deinde Doctor Professor, et Superintendens Generalis VVittebergensis *Vir*, (ut Epitaphium eius testatur)

tur) *vere Apostolicus, et non nisi maximis laudibus nominandus, usque adeo ipsum absoluta eruditio, summa pietas, inusitata vitae innocentia, morumque supra seculi captum probitas, admirabilem omnibus fecerant, et maximorum Theologorum gloriae aequarant. Iohannes Forsterus*, Aurobachius, primum Cizensis Pastor primarius, deinde Doctor et Professor Theologiae VVittebergensis, et templi arcis Praepositus, commentariis in Iesaiam et Ieremiam, Thesauro Catechetico, Exodo Mosaica, aliisque scriptis satis inclytus, expetitus vero a Mansfeldiae Comitibus ad suarum Ecclesiam Ἐπισκοπὴν, eodem anno, quo discessit, mortuus. *Balthasar Meisnerus*, Dresdensis, Philosophus et Theologus incomparabilis, *Vir*, (ut ait Epitaphium eius) *extra controversiam singularis, in quo ingenium et industria, doctrina cum annis, pietas cum comitate semper certarunt. Nicolaus Hunnius*, Aegidii Filius, primum Doctor et Professor VVittebergensis satis inclytus, postea Lubecensium per viginti annos Superintendens meritissimus. *Iacobus Martinus*, Hamburgensis, per anagramma, *Omina, Cubus artis*, Professor Theologiae et Templi arcis praepositus, Academiae tandem Senior, *acumine ingenii, iudicii gravitate, doctrinae copia, et excellentia meritorum, cum summis Seculi Viris comparandus, in suo genere postponendus nemini*, ut in epitaphio; prouti dignus fuit, laudatur. *Paulus Röberus*, VVürtzensis, Aulae Archiepiscopalis Magdeburgensis primum Concionator famigeratissimus, deinde Doctor, Professor, Pastor denique et Superintendens Generalis VVittebergensis, *qui*, (ut loquitur Epitaphium) *pro uberrimi ingenii capacitate, praeter divinarum literarum scientiam, eruditarum linguarum varietatem non modo, sed omnes propemodum liberales artes complexus animo, Poetae, Musici, Mathematici, nec non Historici, Philosophique laudes aequavit. VVilhelmus Lyserus*, Brunsvicensis, Polycarpi filius, *qui ingenio, iudicio et Theologica eruditione iuxta atque prudentia, ut paucos habuit pares, sic de Ecclesia et Academicis Studiis, Paternae avitaeque gloriae vestigiis insistens, non sine efficacissimae industriae exemplo illustri, optime, clarissimeque meritus est. Iohannes Hülsemannus*, Frisius, Theologus primum VVittebergensis, postea Lipsiensis, Pastor item et Superintendens, ac Praepositus Cizensis, *Theologus*, Stylo atque iudicio magni *Scherzeri, quo non ἀνάξιος ἄλλος. Iohannes Scharffius*, Halberstadiensis, Theologus et Praepositus Templi arcis, satis, celebris, *in quo candor cum sapientia, pietas probitasque cum eruditione, fides industriaque paria semper fecerunt. Abraham Calovius*, Prussus, qui iudicio Lassenii, ex recentioribus omnium loco esse debet, Stylo D. Ioh. Fried. Mayeri, *Athanasius alter*; certe Theologus incomparabilis, et meritis in Ecclesiam nemini postponendus. *Iohannes Meisnerus*, Torgensis, Professor et Templi Arcis Antistes, Vir incomparabilis facundiae, et acerrimi iudicii, ac virtutum exemplis et ingenii gloria nemini secundus. *Andreas Kunadus*, Misnicus, primum illustris Portii Rector, deinde Leisnici et Grimmae Pastor et Superintendens, denique Theologus Professor vocatus, non sine fructu Ecclesiae et Academiae VVittebergensis. *Iohannes Andreas Quenstedt*, Quendlinburgensis, Systemate Theologico, aliisque scriptis Theologicis, quibus Ecclesiae industriam et eruditionem Theologicam comprobavit, perinclytus. *Iohannes Fridericus Mayerus*, Lipsiensis, primum Leisnicensis et Grimmensis Superintendens, deinde Professor, Theologus et Templi Praepositus VVittebergensis, porro Hamburgensium Antistes, tandem Pomeraniae Svecicae Superintendens Generalis. Quibus, immortaliter de *VVitteberga* meritis, annumerandi non tantum alii Doctores, et Ordinarii Professores, *Petrus Lupinus*, qui tempore *Lutheri* vixit, *Iohannes Dölitius*, *Caspar Glacius*, *Georgius Maior*, Noribergensis, *Petrus Praetorius*, Lusatus, *Iohannes Bugenhagius*, VVittebergensis, Iohannis Filius, *Caspar Eberhardus*, Sarbergensis, *Iohannes Saggitarius*, Hallensis, *Martinus Henricus*, Silesius, *Andreas Gödike*, Petrimontius, *David Voitus*, *Iohannes Georgius Volkmarus*, Variscus, qui VVittebergam tum viva voce, tum Scriptis eruditissimis, illustrarunt; Sed etiam alii, extraordinarii, partim Theologi celebres, partim Philologi atque Philosophi exactissimi et accuratissimi, inter quos eminent, tanquam magna luminaria inter lucentes Stellas minores, qui sequuntur: *Iacobus VVellerus*, a Molsdorf, Variscus, qui VVittebergam veniens, ampliores sumptus non secum tulit, quam unicum grossum, et tamen septendecim annos ibi vixit, ac Magistri, Licentiati, atque Doctoris honores, insuperque Bibliothecam longe instructissimam sibi comparavit, Academiae vero in Graecis, Hebraicis, Philosophicis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0164-0 DFG

cis ac Theologicis tradendis, quibus omnium ora in se convertebat, tam largo foenore compensavit, ut alma Mater ipsi Ordinariam Lingvarum Orientalium, extraordinariam vero Theologiae Professionem committeret; ab aliis autem toties expetitus, tandem Brunsvicensium Superintendens et Aulae Dresdensis postea Concionator Aulicus supremus constitutus est. *Samuel Pomarius*, Silesius, in Hungaria Gymnasii inclyti Eperiessinensis Moderator et Director supremus, deinde VVittebergensis Ministerii Adiunctus, Doctor et Professor Theologiae Extraordinarius, denique Lubecensium Superintendens meritissimus. Praeterea Philosophi et Philologi famigeratissimi, *Iohannes Reuchlinus*, Phorcensis vulgo *Capnio* dictus, *Vitus Ortelius*, VVinshemius, *Erasmus Reinholdus* Salfeldensis, *Matthias Flacius*, Illyricus, *Paulus Eberus*, Citzingensis, *Esromus Rudingerus*, Papebergensis, *Bartholomeus Schönborn*; *Valentinus Schindlerus*, Oderanus, *Laurentius Fabricius*, Dantiscanus, *Adamus Theodorus Siberus*; *Fridericus Tilemannus*, VVittebergensis, *Fridericus Taubmannus*, Francus; *Erasmus Schmidius*, Delitianus, *Laurentius Rhodomannus*, Stolbergensis; *Martinus Helvvigius*, Boleslaviensis Silesius; *Iohannes VVanckelius*, Kembergensis, *Augustus Buchnerus*, Dresdensis, *Reinholdus Franckenberger*, VVittebergensis; *Iohannes Avenarius*: *Abrahamus Heineccius* VVittebergensis, *Iohannes Müllerus*, Vratislaviensis, *Fridericus Kornmannus*, Vratislaviensis *VVilhelmus Nigrinus*, Cada-Bohemus, *Martinus Trostius*, Huxariensis, *Iohannes Sperling*, Lausda-Thuringus; *Iohannes Ericus Ostermannus*, Sorbigensis; *Andreas Sennertus*, VVittebergensis; *Michael VVendlerus*, Annaebergensis; *Christianus Trentschius*, Misnicus; *Theodorus Dassovius*, Hamburgensis, et alii plures excellentissimi Viri, quibus VVitteberga immortale nomen suum debet.

Ab his Viris celeberrimis accepit VVitteberga tantam nominis magnitudinem ac celebritatem, ut fama ipsius, ob scripta editaque ibi Opera doctissima et utilissima, totum fere orbem impleverit. Nam ab his Viris, LVTHERO Duce, Studium Biblicum, et Scrutinium S. literarum, in maximum Ecclesiae commodum, primum inchoatum, excultum et propagatum est; cui quoque debetur Versio Scripturae Germanica optima et praestantissima, omnibus aliis Translationibus longe anteferenda, tanquam δῶρον aliquod θεῖον VVittebergae conceptum. Ab his promanarunt Lingvarum Sacrarum, et Orientalium notitia, cultura, dilatatio, in Ecclesiam Christianam toto Orbe dispersam; nec non Philosophiae sobriae tot tantorumque Sapientum Studio praeclara adminicula, incredibili cum fructu, in Theologia, et S. Scripturae interpretatione, parata, edita, abhibita, propagata. Ab his profluxerunt tot tamque profunde doctae S. Literarum Enarrationes, tot egregii in utriusque Testamenti libros Commentarii, mentem Domini perspicue ex ipsis Contextus visceribus, et phrasium idiotismis, explanantes, dubia omnia, et quasvis obscuritates, enodantes atque illustrantes, et quicquid difficile ἀδιάλυτον, ac prorsus invium, explicantes, discutientes, et facem praeferentes, magno Ecclesiae, omniumque Christianorum bono. Ab his Orthodoxa Theologia, tam Fidei, quam morum, per omnes locos, per omnes articulos, per omnia dogmata primum tradita, asserta, explicata est; adeo ut VVITTEBERGA, Typum doctrinae et Religionis Christianae, constantem Scripturae Sententiam, de omnibus credendis et faciendis, exhibentem, prima Ecclaesiae donaverit, Locos Communes Philippi ab ipso LUTHERO magni habitos, suppeditando, aliorumque postea Systemata Theologica plenissima et accuratissima, magno numero publicae luci sistendo. Ab his pro fide vera, et religione orthodoxa, bella sacra gesta sunt quam plurima, et Theologia Polemica, contra quosvis Adversarios, tot Scriptis editis, tanquam Panoplia quaedam sufficientissima instructa est, ut, sive principium fidei, sive huius articulos, sive legem, sive evangelium, huiusque Sigilla videlicet Sacramenta, concernant, quaestiones et controversiae, cuncta expedita inveniantur: et inter hos LVTHERVS ipse, Heros magnanimus, quot certamina subiit, quot libros Polemicos scripsit? Sane, quod de instauratoribus Hierosolymae dicitur, altera manu aedificantibus, altera gladium tenentibus, id de LVTHERO quoque dici potest, quod et doctrinam coelestem pure docuerit, et conscientiis dubiis opem iucundam suis consiliis tulerit, et cum hostibus quoque praeliatus

sit strenue, non studio gloriae, sed pro veritate et verbo Dei, tamque felici successu, ut provocatus semper hostes debellarit, et victoriam in Dei gloriam reportarit. Nec minus Successores in cathedra LVTHERI, quisque suo tempore, bellatores maxime strenuos atque fortes egerunt, ob felicem laborum sacrorum et bellorum Domini gestorum successum, ob ingentem eruditionem, prudentiam, et animi praesentiam, sanctissimo Heroum pugnantium exercitui annumerandi, quorum memoriam et scripta, et certamina, nulla unquam vetustas aut oblivio delebit. Qui horum pro dignitate labores atque laudes enarrare mentem intenderit, non historiam, sed grande volumen, pro urceo amphoram formabit. Ab his Theologis etiam dimanavit, quicquid ad pietatem excitandam, spem Christianam fovendam ac corroborandam, et dubiam conscientiam informandam, utile est ac necessarium; adeo ut illorum meditationes, conciones, negotia, consilia, thesauri instar Theologici, unde semper tanquam e divite penu, depromi queat in variis contingentibus casibus, haberi possint. Hoc fine Pastorale a *Conrado Porta*, a *Dedekenno*, et *VVittebergensibus* ipsis, Consiliorum et Decisionum Volumina collecta et edita sunt, ut omni tempore ad horum instructionem, tanquam mentium dubiarum asylum, quisque confugere possit. Atque his Columinibus in Christo solo fundatis, VVITTEBERGA stetit, Domus Dei, et Sion sancta eius, quicquid fremant et frendeant hostes eius acerrimi, et stabit porro inconcussa, Deo conservante, Eique pacem et tranquillitatem, ac Doctores LVTHERO similes, eiusque vestigiis insistentes, gratiose largiente.

Quamvis autem ab his potissimum VVITTEBERGA maximum suum splendorem et celebritatem, quod domicilium audit purae religionis, et Seminarium Doctorum orthodoxorum, adepta sit; non tamen interea tacendi sunt reliquarum Facultatum summi ac celebres Viri, qui, ut in suo genere Lumina fuerunt splendidissima, ita suo fulgore atque radiis non minus VVittebergam illuminarunt, suoque honore ac nominis fama eandem celebriorem et honoratiorem reddiderunt.

Nam inter *Iurisconsultos*, floruerunt: *Hieronymus Schurff*, iudicio, Lutheri et Melanchtonis, Vir sapiens, acutus, gravis, et gravissime iudicans; *VVolfgangus Stehelin*, Rotenburgensis, primus facultatis iuridicae Decanus, et in Iure Canonico ordinarius; *Ambrosius Volland*, de Gruningen, primus in iure civili Ordinarius, *Christophorus Scheurlius*, Nürembergensis; *Conradus Kuning*, Stutgardiensis; *Matthaeus Bescau*, Torgensis, *Iohannes Schverdfeger*; *Iohannes Apel*, *Caspar de Teitleben*, *Sebaldus Münster*; *Melchior Kling*, *Chilianus Goldstein*; *Laurentius Zoch*; *Iohannes Trautenbull*; *Laurentius Lindemann*, *Ioachimus a Beust*, *Georgius Cracovius*, Consiliarius Electoralis, *Ioh. Schneidevvin*, *Michael Teuberus*, *Vitus Ortelius*, *Iohannes Bosonius*, *Matthaeus VVesenbecius*, *Vitus Ortelius*, *Iohannes Limmerus*, *Iohannes Zangerus*, *Eberhardus a VVeyhe* Consiliarius Electoralis, *Petrus VVesenbecius*, *Petrus Heigius*, *Ludovicus Person*, *Thomas Franzius*, Magdeburgensis, *Iohannes Zangerus*, *Bartholemeus Reusnerus*, Vratislaviensis, *Lucas Beckmann*, Hamburgensis, *VVolfgangus Hirschbach*, Gothanus, *Erasmus Unruhe*, Torgensis, *Valentinus VVilhelmus Försterus*, *Ieremias Reusnerus*, Leorin. Silesius, *Conradus Carpzovius*, *Gottfried Reuterus*, *Henningus* Groß / *Iohannes* Strauch / VVittebergensis, *Augustinus* Strauch / *Christophorus VVitcke*, Naumburgensis, *Gottfried Svevus*, Leorin. Silesius *Christianus Taubmannus*, *Henricus Coselius*, Pragensis etc. etc. Inter Medicos vero cum laude VVittebergae docuerunt suamque artem exercuerunt, *Martinus Polichius de Mellerstad*, Primus Academiae Rector, et primus (qui artium et Medicinae Doctor erat) Theologiae Doctor ibi promotus; *Theodoricus Blochius*, Hildesiensis, *Simon Stein*; *Vldaricus Erharus*; *Iohannes Schvvabe*, *Petrus de Bochmardis*; *Thomas Isthimius*, *Henricus Stagkman*, *Melchior Fendius*, *Casparus Lindemann*, *Georgius Curio*; *Iacobus Milichius*, *Casparus Peucerus*, *Iohannes Hermannus*, Nerlingensis *Abraham VVernerus*, *Hieronymus Schallerus*; *Iohannes Matthesius*, *Salomon Albertus*, Noribergensis; *Andreas Schato*, Torgensis, *Franciscus Faber*, Freibergensis, *Valentinus Espich*, Dresdensis, *Salomon Albertus*, Noribergensis, *Casparus Strubius*, VVittebergensis, *Ernestus Hettenbach*, Francus, *Iohannes Iessenius a Iessen*, *Daniel Sennertus* Vratislaviensis, *Melchior Iöstelius*, Dresdensis, *Tobias Trandlerus*, Torgensis, *VVolfgang Schallerus* Freibergensis, *Gregorius Nymman*, *Georgius VVeckerus*, *Iohannes Geor-*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0166-2 DFG

Georgius Pelshofer, Styrus, *Marcus Banzaerus*, Augustanus, *Conradus Victor Schneiderus*, *Michael Sennertus*, etc. quorum dignas laudes si enarrare cuperem, vix liber sufficeret, nedum epistola. Certe omnes et singuli de *VVitteberga* optime meriti sunt, et sibi et Academiae nomen immortale compararunt.

Nec minus Vos, qui hodie vivitis, et vestris Studiis, doctrina, et praeclara eruditione, viva voce, et scriptis eximiis, VVITTEBERGAM ornatis, celebritatem et nominis famam Urbi VESTRAE immortalem conciliastis. Per Vos *Academiae* VESTRAE Laus atque Decus conservatur, augetur, propagatur, nec minui aut interire permittitis antiquam VVITTEBERGAE gloriam. Quia autem *non minor est virtus, quam quaerere, parta tueri*; hinc quoque Virtus, et Doctrina Vestra celebratur, et nomen Vestrum magna cum laude per omnes terrarum oras divulgatur, idque iure merito. Haberem quidem hic commodam occasionem in Vestras laudes excurrendi, et merita Vestra in Ecclesiam et totum orbem eruditum celebrandi; sed vereor, ne VOBIS molestus sim, narrando debitam factorum Studiorumque excellentiam, qui potius recte dictorum, factorum, et Scriptorum memoriam gratae posteritati commendatis. Non possum tamem TUI, VIR grandaeve, Venerabilis Domine *D. Deutscmanne*, immemor esse, qui dimidium Seculum VVITTEBERGAM, Tuis laboribus, collegiis, Scriptis ac monumentis praeclaris illustriorem reddere allaborasti. Cathedra LVTHERI, TVA TVORVMQVE COLLEGARVM viva voce, Orthodoxiam Lutheranam et puriorem Religionis Christianae doctrinam sonuit, et Scriptis quoque eruditissimis propugnavit. Vel soli libri TVI, et innumerarum Disputationum Volumina Bibliothecam aliquam Theologicam, ad usus necessarios sufficientem, constituere possunt, adeo diligentem in Tua Statione Doctorem ac Professorem TE praestitisti. Recordor, cum A. M DC LXVII. transirem, et apud D. CLEOPHAM affinem commorarer, quam facilis et affabilis omnibus fueris, quantum favorem mihi exhibueris, quam negotiosus ac sedulus fueris in Tua Vocatione, quam egregie, ceu Ductorem ac Patrem Studiosorum, te gesseris. DEVS TE servet, et aquilae iuventutem in Senectute Tua TIBI donet, ut adhuc diu Sioni VVittebergensi praeesse queas. Et TVVM Candorem, atque in officiis gravissimis Vigilantiam speciatim laudarem, *D. Godofrede Sveve*, qui mecum ante complures annos Francofurti ad Oderam amicitiam coluisti, mihique curam animae Tuae commendasti; Sed modestia et humanitas Tua id non permittit, pro onere habitura laudum encomia. Hoc dixerim absque hypocrisis Suspicione, pietatis ac Virtutis συζυγία, in TE semper splendidissima, tot tantosque in Patria honores TIBI contigisse; utramque enim comitantur ac sequuntur digna praemia, nec quicquam natura tam alte constituit, quo Virtus cum pietate non possit eniti. Cogor tamen et hoc fateri, si vel maxime vellem, VESTRVM, qui praesentes in Omnibus Facultatibus vivitis, et *VVittebergensae* Ornamenta estis, honorem ac splendorem Virtutum et eruditionis digne evehere, quod mea eloquentia Vestris meritis impar sit, neque horum attingere aut eloqui tam sublimem dignitatis gradum queat.

Quare gratulari tantum VOBIS, Viri Eminentissimi, hac vice debui, quod illo tempore vivitis, quo IVBILEVM magno cum gaudio celebratis, et Vestrae Academiae NATALEM TERTIVM, in Dei solius honorem, et gratiae ipsius maximae gloriam, laeti omnes maxime recolitis: Hic enim annus est, qui beneficia Divina summa et innumera, quibus Vestra Academia per duo Secula affecta est, in memoriam revocat, et recordatione tot maximorum beneficiorum, *Vos* ad celebrationem Nominis Divini excitat. Quis enim non *iubilaret* in *Iubileo*? quis Natalem suum laetus non celebraret? quis tempus gaudendi non observaret? et quis cum gaudentibus non gauderet? Ego certo persvasus, apud *Vos* hoc anno, Vestrae Academiae Iubileo, Laudes Divinas decantatum, et per has ad gaudium Spirituale omnem populum excitatum iri; VOBISCVM laetor animo, et gratiam Divinam VOBIS largissime exhibitam depraedico. *Iudaeorum annus Iubileus* solenniter peragebatur, sanctificabatur, et clangore tubae omnis populus excitabatur, praecipue in eo pauperes et Servi, ob manumissionem et remissionem argenti laetabantur, et DEI misericordiam ac singularem providentiam uno ore hilares commemorabant. *Christianorum iubileus annus*, est annus gratiae Divinae, quo omnes

mnes fideles, per et propter Christum, non tantum suorum peccatorum remissionem, sed etiam a Diaboli tyrannide, et poenis peccato debitis, liberationem consequuntur. Estque in N. T. perpetuus ac universalis, adeo ut a Christi tempore, ad finem usque mundi duret, et porta gratiae omnibus ac singulis, per poenitentiam, aperta sine termino maneat, iuxta Ies. LXI, 1. Luc. IV, 18. 19. Quod tamen gratiae tempus, licet universale ac perpetuum sit, non tantum homines, praesertim impoenitentes et contumaces, vitae malitia, et incredulitatis perseverantia, negligere, et sibi praecludere possunt; sed etiam falsa doctrina, et traditionibus humanis ita obscurare ac tenebris involvere, ut omnibus haud patefiat, plurimis dubium et ignotum sit. Quemadmodum in Papatu, etiam tunc, quando per annum iubileum thesaurus indulgentiarum Romae aperitur, et venia atque remissio peccatorum omnibus plenissima annunciatur, verum gratiae tempus, annus Domini misero populo contegitur, tacetur, ignoratur. Hinc Vestra VVITTEBERGA, hoc anno, eo magis *Annum Domini*, per *D. Lutherum*, manifestatum et praedicatum, grato corde, ac lato ore commemorabit, eumque Dei gratia continuatum, Vestraque opera omnibus annunciatum, omni modo ebuccinabit, et decenter celebrabit. *Vobis*, qui nunc ibi vivitis, de hoc officio gratulor; plenum est enim Dei favore et gratia. Dei gratiam agnoscescere, celebrare ac depraedicare, perpetuum Angelorum ac beatorum negotium est: certe nil eo praestantius, nil iucundius, nil Deo gratius, duraturum in vita futura in omnem aeternitatem. Et dum hoc agitis, quod vestri est officii, quod gratitudo debita postulat, memoriam VOBIS gratae posteritatis, beneficiorum divinorum Maioribus exhibitorum memoris, apud posteros, si qui erunt, non sine encomio comparatis. Laus Dei, Vestra quoque laus erit; utraque accendet posteros, ut simili gratitudine Dei gratiam agnoscant atque celebrent. Oro igitur Deum immortalem, ut omnes et singuli, quotquot nunc VVITTEBERGAE, Doctores, Professores, ac Verbi Praecones vivi adestis, cum tota civitate, hoc IVBILEVM Vestrum, salvi et incolumes, laeti ac hilares, gaudentes et exultantes, in pace ac tranquillitate, in honorem Optimi Maximi Numinis Divini, et aedificationem Ecclesiae Christianae peragatis. Det VOBIS gratiam, et Spiritus S. adsistentiam et benedictionem, ut huius ductu omnia faciatis recte, Deo placentia, hominibus fructuosa et salutaria. Conservet ac regat Vos imposterum, ut diutius cum laude, quemadmodum hucusque fecistis, VVITTEBERGAM ornetis et doceatis, Orthodoxiam propugnetis, veritatem coelestem propagetis, lingvas, artes et quaelibet studia promoveatis, et inde, tanquam ex Equo Troiano, vel (ut Christiano loquendi modo utar) tanquam ex seminario doctorum hominum, tanquam ex officina bonarum artium et scientiarum, tanquam emporio sanctioris literaturae, innumeri progrediantur idonei Ecclesiarum Antistites, apti Scholarum Rectores, et iuventutis formatores, magni Politiae moderatores, experti sanitatis restauratores, praestantes Sophiae cultores ac Doctores, quorum fama et memoria Vestra VVITTEBERGA semper illustrior, semper maior existat, semper eadem perstet, id est, magna Dei civitas, tabernaculum Altissimi, Christianum Bethlehem, et domus Dei, porta coeli praesentibus et futuris, amoenus Paradisus, nec unquam bellis, fame, peste, nec malis internis affligatur, sive ab immanitate irruentium aprorum, sive a vastitate crudelium harpyiarum, sive a foeditate damnosorum habituum Antichristi, semper sub umbra coeli tutissima, florentissima, felicissima, constantissima.

Voto meo addo DESIDERIVM meum, VVITTEBERGAE citius, et felicius, quam forsan alibi, implendum. Omnibus notum est, cum puriore Theologia, etiam apud Vos Linguarum studium erupisse, invaluisse, atque ad alios dimanasse, per tot egregios Doctores, eorumque libros in Philologia utilissimos ibi editos. Inter hos *Daniel Fesselius*, Theologus atque Philologus non postremus, Cüstrini in Neomarchia Pastor et Superintendens, VVITTEBERGAE olim Discipulus, a suis Praeceptoribus, claris Vestrae Academiae luminibus, bene edoctus, et excitatus, praeter *Crellianas Concordantias*, quas pleniores edidit, etiam ADVERSARIA SACRA Philologica, et Lexica, quibus aliquot mille S. Scripturae loca egregie illustravit, publicitus edidit; Tomum quidem primum eorum iam anno 1649. alterum vero anno 1660. usque toti Ecclesiae, eiusque ministris,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0168-3 DFG

ſtris, fontium amantibus, valde profuit. Ab iſto autem tempore, licet plures alios eruditos et utiles libros, Eccleſiae bono evulgaverit, continuatio operis Philologici expetita et deſiderata a Viris doctis, et ab ipſo promiſſa, inſecuta tamen non eſt. Procul dubio ob muneris eccleſiaſtici labores multiplices, moleſtias, curas et impedimenta, quae non permiſerunt volenti *Primitias Lexici Hebraici* elaborare, atque cum doctis communicare. Interim maxima huius Lexici laboris utilitas eſt, quam et ipſe in praefationibus copioſe ſatis deſcripſit, alii ipſo uſu in ſacris exercitiis experti ſunt; ut mirum videri queat, neminem inter doctos repertum eſſe, cui tam inſignis utilitatis opus curae cordique fuiſſet. Nam quamvis BVXTORFFII V. T. Hebraicas et ERASMI SCHMIDII N. T. Graecas Concordantias, Dei gratia habeamus, et nemo non Theologorum uſum earum maximum omnibus commendet, nec immerito, cum non ſatis laudari ac commendari poſſit, tamen maior illarum uſus eſt, ſi Concordantiae quamlibet vocem, cum omnibus ſuis acceptionibus, et locis Scripturae, quibus occurrunt, in certas claſſes diſtributis, exhiberent, ea videlicet forma ac modo, quo *B. Feſſelius* aliis praeire, et *συναγωγαφίαν* ſimul dare voluit *Lexici* cuiusdam *Harmonici*, in Vetus et Novum Teſtamentum, maximo cum Eccleſiae Chriſti emolumento, apte concinnandi. Sic maior et felicior uſus eſſet Concordantiarum, tantopere ab omnibus laudatarum. Quotusquisque enim eſt, qui, licet tanto otio gauderet, omnia et ſingula Scripturae loca, quae unius ſaepe vocis ſat multa ſunt, propter acceptionem illius accurate inveſtigandam, et hoc vel illo loco applicandam, evolveret? quis eſt inter eruditos miniſtros, qui, ob muneris negotia, id poſſet, aut vellet? nimis enim moleſtus labor eſſet, et adeo taedioſus, ut vel inceptus mox deſineret. At vero, ſi tantam moleſtiam creat, evolvere Scripturae loca; quantam, credis, oportet exiſtere illi, qui omnium locorum contextum conſiderare, interpretes conſulere, veram et genuinam vocis ſignificationem eruere, et denique omnes eius acceptiones in claſſes redigere, et ordine proponere, atque hac ratione Lexicorum defectus ſupplere, cupit. Sane hic labor eſt, de quo poëtice, ſed veriſſime forte cecinit Ios. SCALIGER:

Si quem dura manet ſententia Iudicis olim,
Damnatum aerumnis ſuppliciisque caput:
Hunc neque fabrili laſſent ergaſtula maſſa,
Nec rigidas vexent foſſa metalla manus.
Lexica contexat: nam caetera quid moror?
Omnes
Poenarum facies hic labor uſus habet.

Quare meis votis ac deſideriis, laboris huius continuationem et abſolutionem, aliis commendo, quibus et ſuum addidit *B. Feſſelius*, in fine praefat. Tom. II. ita ſcribens: *Vtinam ſeriam ageremus poenitentiam, et obnixis Iehovam opt. max. exoraremus precibus, ut, bellis undiquaque gliſcentibus et graſſantibus ſopitis, Eccleſiae ſuae tum armis populorum nil, niſi bella volentium, ſpirantium, crepantium, tum falſis Pſeudodoctorum dogmatibus miſere dilaceratae exoptata concederet Halcyonia, quibus impetratis, Reges et Principes, et qui Magiſtratus munere funguntur, quos Spiritus Sanctus Eccleſiae Nutritios vocat, ſpartam ſuam ſtrenue ornarent, ſi non tantum in ſcholis trivialibus et Gymnaſiis lingvas haſce, quibus ſacer codex divino impulſu conſcriptus eſt, gnaviter addiſci procurarent, ſed et in Academiis aliquot ſtudioſis, lingvarum Orientalium, praeſertim Hebraicae et Graecae lingvae, ut et ſacroſanctae Theologiae gnaris, optima ſtipendia perſolverent, quibus, ſub accurata inſpectione et correctione tum Theologiae, tum Hebraeae et Graecae lingvae Profeſſorum, demandatum eſſet, eiusmodi Lexica completa, unica cuique Alphabeti Hebraici aut Graeci litera attributa, ex V. et N. Teſtamento ſecundum regulam et manuductionem Concordantiarum Hebraearum Clariſſ. Buxtorffii, et Graecarum Excellentiſſ. Schmidii concinnare. Quantum hoc pientisſimo et utiliſſimo labore Iehova Eccleſiae ſuae in his terris adhuc militantis et patientis Aſſertori maximo litaretur, quantum hic labor vergeret in Dei gloriam, in Eccleſiae Chriſtianae commodum, in feliciſſimam multarum controverſiarum deciſionem, in exoptatam dogmatum falſorum annihilationem, verbis vix enunciari poteſt.*

Equidem Viri huius, tunc vivi adhuc, voto ac deſiderio motus incitatusque manum admovi et pleniore evolutione vocum, novam Lexici ſacri formam etiam concinnare tentavi, cum Francofurtum ad Oderam vocatus, *D. Chriſt. Ravio*, Philologo celeberrimo, et Lingvarum Orientalium Profeſſori ibidem callentisſimo, Amico, quoad viveret, candidisſimo, Seni ſanctisſimo, a ſtudiis innoteſcerem, ab eoque toties ad

Lingvarum et Chronologiae S. ſtudium excitatus, inprimis poſt beatum eius obitum Hebraeam lingvam docere, cum nemo eſſet, alios inciperem. Putabam autem illo tempore, iam vegeta aetate, in tanta virium animi et corporis alacritate, quae licet nondum, Dei gratia annos LVIII. nato deficiat, tunc optima et ex voto prorſus erat me vel ſolum, etiam inter occupationes muneris eccleſiaſtici, (tanta me ſpes, tantus ardor me alliciebat) magnam Lexici talis partem elaborare poſſe. Sed aggreſſus illum laborem, deprehendebam plane moleſtum et oneroſum, praecipue homini occupato; et quamvis ardore omne taedium initio delinirem, imo poſt negotia officii demandata, recreationem quandam in hoc labore quaererem et delectamentum; tamen in progreſſu ſenſi, me nunquam id praeſtiturum eſſe, quod ego obfirmato animo praſtare praeſumſeram. Voluntas igitur pro facto aeſtimanda et bene interpretanda, iuxta illud Pöetae: *In magnis voluiſſe ſat eſt.* Feci, quod potui, non, quod volui, et ſaltem quaedam ſpecimina edidi, eruditorumque in hoc genere virorum cenſurae ſubmiſi. Et quia hanc facilem ac benignam expertus ſum, non tantum eorum, quorum iudicium expetivi, ſed etiam aliorum, qui ſponte ſua arbitrati ſunt inter quos B. D. ANG. PFEIFFERUS in ſua Hermenevtica ſacra. c. 6. §. 23. pag. 132. ſpecimem Hierolexici Hebraei laudat et calcar mihi addidit, quod magnum huiusmodi ſignificatuum methodica, digeſtio uſum habeat in συγκρίσει ſacra: ideo non abieci prorſus laborem, ſed ſocios et συνέργους quaeſivi, deſideravi, optavi, quibus utilitatem laboris impenſi nimium quantum commendavi, et propriam quoque in exercitiis talibus ſperandam promiſi; Verum ſurdis narravi fabulam, neque unum in omnibus meis deſideriis, quae pluscula, inprimis de Societatibus novis ineundis, ſincero animo aperui, iuvare, et manus auxiliatrices ferre volentem inveni, multos approbatores, nullum σύνεργον et Collaboratorem. Sufflaminatus Herculeus ille labor, et retardatus eſt, non penitus ſublatus aut reiectus eſt. Expectat meliora tempora, aut tempus ſibi deſtinatum; et deſiderat in Studio lingvarum et Theologiae peritos et induſtrios iuvenes et Viros, qui ſaltem aliquid operae impendant, et ſuum ἐπιβάλλον μέρος adiiciant. Opto, inſto, urgeo et hortor eos, quos ſcio in Literatura ſacra gnaros, et Lingvarum amantes. Video et B. PFEIFFERUM in Theſauro Hermenevtico illud deſiderium repetere, atque ad explicationem legitimam vobis in textu praeſenti requirere notitiam totius eiusdem latitudinis, Can. XL. p. 298. meumque conſilium laudare p. 300. *Vix dici poteſt; quam inſigne adminiculum accuratior digeſtio ſignificatuum ad Scripturae S. interpretationem, praeſertim* σύγκρισιν, *afferre poſſit.* Nec deſperem ego, ſi unanimi conſilio, cum inſtinctu et approbatione ſummorum Virorum, opus illud tractaretur et continuaretur, expectari poſſe, cum Deo et die, aliquando finem exoptatum atque gratum. לכל עמף ועת לכל־חפץ תחת השמים, inquit Salomon in Eccleſiaſt. cap. III. 1. perſpicue docens, *omni rei eſſe tempus determinatum.* Nam זמן notat tempus definitum, ut vani ſint hominum Conatus atque labores, etiam maximi, niſi in tempore ſuſcipiantur determinato, eisque a Deo opportunitas et ſucceſſus concedatur, vel ipſa experientia, rerum omnium Magiſtra luculentiſſima teſte.

Quare ad Vos, Maxime Reverendi, Ampliſſimi, atque Excellentiſſimi Viri THEOLOGI et PHILOLOGI, Profeſſores ac Doctores celeberrimi, mea ſe convertit Oratio deſideriorum plena, atque in ſinum Veſtrum effundit vota, tum mea, tum aliorum, praeſertim hoc *Iubileo veſtro Academico*, tanquam opportuno tempore exponens, quid fieri poſſit, ſi Veſtro nutu, conſilio, auxilio et commendatione haec res agatur. Veſter eſt FESSELIVS, qui primus hoc opus Sanctum inchoavit, et initia illius ſub nomine *Adverſariorum Sacrorum* evulgavit: Veſter PFEIFFERVS, qui VVittebergae Lingvas didicit ac docuit, idemque opus urget, optat ac deſiderat: Veſter et Ego ſum, tum ob συγγένειαν, fidei, Genus Doctrinae, quod LVTHERVS, eiusque genuini Succeſſores ac Doctores VVittebergae hucusque tradiderunt, et in toto meo Eccleſiaſtico et Academico munere ſecutus fui: Veſtri ſunt, quos poliiſtis et erudiviſtis, tot eximii Diſcipuli, ingenio praeſtantiſſimo iuvenes, Clari Magiſtri et Adiuncti, Lingvarum et Theologiae ſatis Periti, ad hoc opus maxime apti et idonei. Veſtrum igitur fiat opus, et inchoatum per Veſtros, a Veſtris, veſtra

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0170-3 DFG

vestra, χειραγωγία, opera et auxilio perficiatur. Convenit enim, ut Opus Philologico-Theologicum; voces Scripturae ex Fontibus ordine methodico exhibens, doctrinae quoque orthodoxae congruat, et ab iisdem continuetur, et B.C.D. absolvatur, qui unius sunt mentis, fidei, doctrinae, et confessionis, iam in eo sum, ut publicae luci ex ponam. Ecce, TOMVM TERTIVM ADVERSARIORVM SACRORVM, libris itidem quinque constantem, quorum *Primus*, Specimem Hierolexici Novi in Graecum N. Testamentum, *Secundus* Specimen Hierolexici Novi in Hebraeum V. Testamentum, *Tertius* Specimem brevioris tractationis ad modum methodi Fesselianae, *Quartus* et *Quintus* voces continet, ab aliis iam tractatas, et hic collectas dispositasque, qui Vestris, quibus continuationem demandabitis, cum Fesselianis loco exemplaris et ideae esse possunt. Potestis si vultis plurimum hic iuvare; potestis mundare, autoritate polletis maxima; Potestis svadere, rationibus pondere gravissimis; potestis excitare, exemplo Vestro, et Theologorum, LVTHERI praesertim, et CHEMNITII, in hoc genere excellentissimorum. Agite igitur, VIRI Celeberrimi, Patroni ac Fratres in CHRISTO honoratissimi, tam sancta desideria, tamqve sanctos conatus, aequi bonique consulite, ac, quantum in VOBIS, in DEI honorem Triunius, et Ecclesiae Lutheranae maximum emolumentum, benigne promovete. Accrescet per hoc opus Vestrae ACADEMIAE VVittebergensi non exigua Laus et gloria; accrescet una DEI benedictio, quam sanctis conatibus promisit, et large praebet; accrescet gaudium aliorum, et grata exhilaratio, qui fructibus novis subinde a VOBIS produentibus, ex animo laetantur. Hic laude dignus labor soli VVITTEBERGAE relictus est, sola quoque habebit istam gloriam, magis et magisque implebitur Vaticinium MARTINI POLICHII, Mellerstadio Franci, qui, cum Elector Saxoniae, reversus ex Comitiis VVormatiensibus, ubi anno MCCCC XCV. decretum erat, ut quisque Elector Academiam in suo Electoratu conderet, de loco et oppido quo institueretur, esset solicitus, Vir ille sapiens consilio suo VVITTEBERGAM, tanquam aptissimum tantae rei domicilium commendavit, hisce verbis, ut B. SENNERTVS in Athenis VVitteb. c. II. p. 15. annotavit: *Certe huic Provincae et Civitati gratitudinis ergo cuiusdam beneficium hoc debes, cum quibus Maiores Tui Electoratus dignitatem consecuti sunt. Haecque in hoc splendido minime loco condita Academia alias quondam, scias, omnes Germaniae luce sua obscurabit.* Vere praedixit; vere impleta, ut SENNERTVS idem in Dedicatione vere scripserit: *Alma Haec* VVITTEBERGA Domus VVitikindea, Sedes Electoralis dignitatis ac Metropolis, *Mater Studiorum prae centum aliis (absit dicto hostilitas) praesertim vero purioris restitutae Religionis Christiane longe celeberrima, mundi qua patet Machina, frendentibus Orbe et Orco.* Cuius ego quoque verbis ex Psalmo CXXII. votivis desino: *Sit Pax, VVITTEBERGA, intra muros tuos, et Salus in domibus Tuis propter fratres meos et proximos meos, precor Tibi prosperitatem, propter Domum DOMINI DEI nostri, quaeram bona Tibi.* Scribebam Regiomonti Prussorum, Die Desiderii, Anno M DCC. II. Academiae VVittebergensis Iubileo.

VV. MAX. REVEREND. EXCELL.

Devotus Cultor

Gottfried Wegner, S. Th. D. Eiusq. Prof. Ord.
et Concionator Aulicus Secundarius.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0171-9 DFG

XXXVII.

IO. ANDR. GLEICHII,

Orat. Eccles. aul. in sacro Academiae seculari, Gratulatio.

EXtolle caput
SAXONIA
afflicta et depressa,
dum
Princeps Tuus Regius
cum
VVitteberga sua,
singulari et divino quodam Fato,
uno eodemque Mense ac Die,
Natalem,
medios inter Rerum Temporumque
Fluctus et Vicissitudines,
celebrat.
DEO autem TER OPT. MAX.
Statori et Conservatori tuo
gratias devotissimas
persolve,
qui tibi iterum diem laetitiae dedit,
et hunc *album montem*,
Metropolin Circuli Electoralis,
cum *sede Musarum*,
a primo Fundationis die,
XV. Cal. Nov.
A. M. D. II.
per FRIDERICVM SAPIENTEM
Sapienti Consilio extructam,
ad hanc usque horam
clementissime conservavit,
et ex illa
Puriorem Evangelii Lucem,
praeter omnem Hominum Spem atque
Expectationem
exire iussit,
atque
Almam Leucorin,
matrem
Omnium Ecclesiarum Evangelicarum,
Sartam atque tectam,
adversus portas et viperas inferorum,
igneaque tot Haereticorum, Syncretistarum et maleferiatorum
fratrum tela,
sub *Ruta Saxonica*,
defendit,
ut
alterum nunc secundo huius novi Seculi
XIIX. anno, Iubilaeum celebrare
publice possit.
Respice simul
Benignitatem Dei,
et mirabile eiusdem Regimen,
Cum *primum* celebrares Iubilaeum,
sceptra gerebat Academica
Dux Augustissimus
DIVI AVGVSTI NEPOS
CHRISTIANI I. FILIVS
et *Re* et *Nomine*
vere
AVGVSTVS. (1.)
Postquam *secundum* iam redit Iubilaeum,
ex eadem *Linea Albertina*,
Regius et Electoralis Princeps Optimus,
Spes Patriae,
FRIDERICVS AVGVSTVS II.
in quo
non tantum *Patris* Gloriosissimi,
sed et *Fundatoris* Sapientissimi
et primi Iubilaei *Directoris*
nomina, non sine bono *omine*
coincidunt,
Musarum Tuarum Thronum
illustrat.
Considera quaeso
memorabile Tempus,
Seculi, *Anni*, *mensis*, *diei*.
Seculum P.N.C.XIIX.
iam volvitur,
et una XIIX. dies Octobris.
Anno *secundo* huius Seculi novi,
Secundus Natalis
Academiae
quoque oritur.
Mensis *October*
Principi Tuo
et
Aca-

(1.) Vide Acta *Iubilaei primi* VVittembergensis Collectim nomine Academiae edita et *Christiani II.* El. Sax. inscripta atque impress. VVittemb. apud *Laurentius Seuberlich*. 4.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0172-4 DFG

Academiae *VVittebergensi*
hodie dat NATALEM,
Si Principis Nativitatem secundum Calendarium Iulianum spectes, (2.)
qui *secundo* hoc *Iubilaeo* tuo
primum etiam ingrediatur *Climactericum.*
Fuit hic dies XIIX. Octobris
Musis imprimis *favorabilis* (3.)
In illo enim inauguratae quondam sunt
Seculo XIV. (4.) *Heidelbergensis*,
Seculo XV. (5.) *Gryphisvaldensis*,
Seculo XVI. *VVittebergensis*,
Academiae.
Condidit hoc die
Seculo X. (6.) *Otto I.* Imperator,
e Saxonum gente oriundus,
Archi Episcopatum Magdeburgensem.
et paulo post
Misenensem, Martisburgensem, Cizensem,
Episcopos, solenniter introduxit.
Taceo alia Beneficia
Tibi, *o Saxonia dilecta*,
hoc die olim exhibita,
inter quae illud sane non est minimum,
quod media inter totius ferme Europae bella,
in pace adhuc praesens celebrare Iubilaeum potes.
Absint vero *Gentilium* superstitiosae
Lustrationes, (7.)
Absint *Indulgentiae* vanae et profanae, (8.)
Absint *Ludi seculares.* (9.)
Aperitur hic alius
Pietatis verae et *devotionis* atque *gratiarum actionis* Campus,
et Liberior ad artes Liberales aditus.
Concurrite Cives, et Musarum pulli,
praemia post exantlatos labores liberaliter distribuuntur.
Exultate de Felicitate Sionis Vestri.
et *proiicite* Vos cum Patribus vestris,
Docentes aeque ac *Discentes*,
Coram Throno Regis aeterni,
Ipsiusque *Numen* ac *Nomen implorate*,
Pro *Principis* Vestri *Augustissimi* Vita et Educatione,
imo *intercedite* pro Salute
totius Domus Regiae et Electoralis Saxonicae
eiusque flore perpetuo,
atque pro Conservatione intemerata
Academiae Vestrae,
quo non tantum
initio hoc Seculo, sed et reliquis,
(si quaedam supersunt)
ad ultimam Mundi Ruinam,
in illa
Religio Apostolico-Evangelica, Literae et Bonae Artes
floreant atque vigeant,
nec ullis unquam, quantis, quantis, hostium machinationibus cedant,
sed de innumeris ignorantiae et fraudum Victoriis unice triumphent,
donec rupto hoc pessimorum Temporum Circulo,
ad alteri *aeterniquc Iubilaei* gaudia aeternum duratura perveniamus,
Deumque Trinunum inter Angelorum et Electorum Choros
plaususque perpetuos celebremus.
REGI Seculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria, in secula seculorum. Amen!

P. P. DRESDAE. XV. CAL. NOV.
A. O. R. M D CCII.

(2.) Natus *Sereniss. Princeps* d. 7. Octobr. 1696. Calend. Iulian. qui propter emendationem Calendarii 1700. factam XI. dier. ablatione incidit nunc ordinarie in d. 18. Octobr.

(3.) Si fides habenda est Autori I. C. S. in Remarqvablen historischen Briefen/ pag. m. 697. edit. Francof. et Lipf. 1694, 8. et *Abrah. Bucholcero* in Indice Chronolog. p. m. 422. et p. 379. edit. Francof. 1612.

(4.) *Heidelbergensis* Academia fundata quidem A. C. 1346. a *Ruperto Rufo* Electore Palatino, sed confirmata et inaugurata 1387. d. 18. Octobr. consentit. *Io. Cluverus* in Epit. Histor. totius Mundi p. m. 634. edit. Hildesh. 1640. 4.

(5.) *Gryphuvaldensis* A. C. 1437. condita a *Vratislao* IX. Duce Pomeraniae, et inaugurata d. 18. Octobr. eiusdem anni, quamvis alii Annum 1456. ponant, uti *Io. Ad. Osiander*, Theologus Tubingensis, in diss. de *Iubilaeo Ebraeorum, Christianorum, Academicorum*, §. 104. p. m. 88. edit. Tubing. 1677. 4. et *Io. Iacob. Hoffmannus*, Lexic. Vniverf. Tom. I. pag. m. 717. edit. Basil. 1677. nisi illud interveniat discrimen quod Anno 1456. fundata et sequenti 57. anno forsitan inaugurata sit.

(6.) Factum hoc est A. C. 970. d. 18. Octobr. uti *Bucholcerus* in Indice Chronolog. pag. m. 307. edit. Francofurt. 1612. 8. putat.

(7.) De *Lustrationibus gentilium* videatur *Varro* de L. L. libr. 5. *Io. Rosinus* Antiqu. Rom. L. IV. c. 27. *Alexander ab Alexandro* Genial. Dier. L. V. c. 27.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0173-0 DFG

(8.) De *Indulgentiis* conf. *Io. Adam. Osiander* in diss. de Iubilaeo Ebr. Christian. et Acad. §. 91. sequ. pag. 96. edit. Tubing. 1677.

(9) *Ludos seculares* descripsit *Varro* L. I. de Scenicis Originibus, *Livius* L. CXXXVI. *Censorinus* de die natali cap. XVII. p. m. 113. 124. 125. edit. Lugd. Batav. 1642. 8. adde de Ludis natalitiis *Ioach. Hildebrandum*, tractat. de *Natal. Veterum* c. 8. p. m. 33. sequ. edit. Helmstad, 1661.

XXXVIII.

SECVNDVM IVBILAEVM ACADEMIAE VVITTEBERGENSI gratulatur IO. PRAETORIVS, Quedlinburgensis, Gymnasii Hallensis Rector.

Diae scientiae Parens casta, artium
Pulcherrimarum Mater, alma LEVCORI;
Miranda proles PRINCIPIS, cui parem
Negat creatum terra Saxonum, suis
Qua lata campis continet fulvas aquas
Ruentis Albis, fluminum cani patris.
Divum e sepulchro nunc voca tuum Patrem,
Vt gaudii pompam tui, ut laetos sonos,
Queis sacra templa plena, queis Cathedra Scholae
Auro coruscans replet ingentem domum,
Laetante corde cernat, et nunc audiat.
Heros stupende, *FRIDERICE TERTIE*,
Sapientiae quem laude cunctis praeferunt,
Vmbram silentis linque iam tumbae, decet
Hac luce lucem visere, et frui simul
Laetante luce, nata qua gaudet sua,
Quae sola et unica, optima et proles tua.
Vix, LEVCORI, tu liqueras Cunas, tuum
Infers arenae robur, et Spiritu micas,
Vt veritatis extrahas lucem, nigro
Quae carceris squalore clausa fraudibus
Et vi furentis illius lupae, thoro
Quae septicollis in lupanaris sedens
Dementat orbem, poculoque inebriat,
Quo sancta vita, quo beatitas perit,
Coelestis aula quam tenet celsi poli,
Vir entheae nam mentis, ipso numine
Plenus IEHOVAE, verus et miles sacer,
LVTHERVS ille prodiit, firma afferens
Armatus arma, et ense Scripturae minax,
Et flamma ab ore sacra sacro prosilit.
Hic mente maxima irruens in agmina
Scorti impudentis, Roma quod stulte colit,
Disiecit illa; fregit atque perdidit
Figmenta, fabulas et errores graves,
Fictumque cultum, caelites quo nescios
Honorat, et cuncta inquinat faede sacra,
Dicata soli, maximo, vero DEO.
Et ille purgatorii fictus calor,
Isanientis flaminis merus pudor,
Consumptus igne, quem Lutherus flammeo
Spiravit ore, plenus ignibus Poli.
Romana pulsa sic throno meretrix, mala
Quae fraude capta pectora tenebat, iugo et
Premebat omnes tam gravi, tamque effero,
Vt faetidum pedem osculandum orbi daret,
Calcaret et pede sacra colla Caesarum,
Elata nempe maxima arrogantia.
Sed victa maeret e luto loquens; tuas
Et tu subinde, LEVCORI, victorias
Ad usque primi seculi finem manu
Felice ducens iubili promis sonos,
Cum iubilaeus primus alto surgeret
Aurorae ab ortu, luce pulchra splendidus,
Hinc efferata Roma prospero tuo,
O LEVCORI, cursus, graves iras movet,
Accersit omnes, quos tenet, rasos Viros,
Qui mole magna mox librorum millium
Delere doctrinam tuam, et fidem tuam
Iubentur, ausu sed malo, irrita et manu;
Tu namque coeli dum favet Numen tibi,
Et affluentes ingeni vires polo
Demittit, invidis beata laureis,
Quas singuli anni conferunt semper novas,
Contundis omne, quo DEI cultum mala
Gens, haeresis fautrix, cucullis abdita,
Pudoris expers, turpat et nullum facit.
Sic aucta lauris, aucta sic Victoriis,
Laetos triumphos seculo infers tertio

Dum

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0174-6 DFG

Dum Iubilaeum laeta festivis modis
Colis secundum, reddis et grates DEO,
Fonti optimo huius invidendi muneris.
Felicitati nunc tuae quae promere
Secunda vota corde convenit pio?
Sis terror hostium, DEVS si quos habet
Hostes, triumphis conteras cunctos; vige,
Flore; viresce, sana mente et corpore.
Inter triumphos tertium sic inchoa.
Idem triumphis claudito seclum sacris.
Aut altiori num placet voto loqui?
Tunc est vovendum: tertium ut seclum dies
Disrumpat ultimus, ferens finem omnibus,
Et militantem te triumphanti inferat
Ecclesiae, quae regna coeli possidet,
Semper beata quae colit verum DEVM.

XXXIX.

IO. HENR. BERGERI, ICTI,

Consulatu Academico cIↃ IↃ c c III. tertium perfuncti,

DE

IVRECONSVLTIS

SVPERIORIS SECVLI

IN ACADEMIA VITENBERGENSI

ORATIO.

SI rerum praeteritarum tanto suavior esse solet recordatio, quanto plus felicitatis habuerunt illae, quantoque maius et exquisitius attulerunt gaudium, cuius sensus et percepta voluntas non magis ad omnes, quam ad singulos, pervenisse videatur: nemini veniat in mentem mirari, quid tandem sit, quod ego huius diei memoriam, ex superioris anni spatio repetitam, recolere non possim, quin ipsius delectatione cogitationis afficiar iucundius, et laetandi momenta causasque ante oculos mihi ponam, neque aliter, atque in praesenti fructu restituti temporis, efferar altius, et maximopere triumphem. Rediit tandem, et felicius, ac dubius incertusque formidolosorum temporum exitus polliceri videbatur, in orbem rediit dies, quo superiore anno auspicatus Academiae natalis immortali Dei munere, et publico regiae magnificentiae beneficio, celebrabatur, eius, inquam, Academiae, quae religionis emendatae parens est, et duorum seculorum superavit incommoda, atque a tot insidiis turbisque temporum tuta stetit et invicta, literisque perfugium praebuit, et, cum aetate defectura videretur, collectis refectisque viribus corroboravit sese, ac novo quodam maiorique lumine, auspicio Serenissimi iuventutis Principis, exsplenduit, ut eius solemnia non cives solum hospitesque, sed externi etiam disiunctissimique populi, qua meliorum sunt partium, votis omnibusque pulcerrimis prosequerentur. Quae cum cogitatione complector, vel humanitatis, vel religionis expers sim, ni voluptatem animo capiam; cumque hodierno die more maiorum mihi dicendum esse intelligo, nullum dicendi argumentum sive tempori huic convenientius, sive muneri meo coniunctius, sive vobis omnibus optatius, reperisse videor, quam si seculi, quod nuper transegimus, aetatem recorder, et officii religione ductus, sanctos maiorum manes pia laudis commemoratione venerer, horumque memoriam, quoad possim, ab ingrata posteritatis oblivione ita vindicem, ut brevi orationis genere illos comprehendam, qui praeterito centum annorum intervallo iurisprudentiam in illustri hac Academia doctrina, fide industriaque, ornarunt. Date igitur, Auditores, et maioribus nostris, a quibus tot ac tanta nominis ornamenta accepimus, hanc pietatis significationem, et

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0175-1 DFG

hanc mihi veniam, ut, quae dicturus sum, benevole audiatis, nec tam elegantia ornatuque, cuius laudem mihi non arrogo, quam simplicis religiosique officii cultu, aestimetis.

Equidem cum instituti rationem habeo, atque ab ipsis seculi superioris orsus initiis, quibus Iureconsultorum ingeniis studiisque haec floruerit Academia, cupide perquiro: illo quidem anno, quo primi secularis instructa sunt solemnia, ordinem Iuridicum condecorasse intelligo, *Io. Zangerum, Ludovicum Personam, Bartholomaeum Reusnerum, Lucam Beckmannum, Volffgangum Hirschbachium*, viros ingeniis summos, virtute maximos, doctrina praestantissimos, usu rerum insignes, scriptis etiam ad immortalitatem nominis commendatos. Mirari subit, cum multi multa de primi secularis apparatu memoriae tradiderint: omnium tamen, quem sciam, extitisse neminem, qui vivos illius aevi Doctores publicos, suo quemque loco commemorarit. Vt parum absit, quin maiores incuriae cuiusdam, nec purgandae satis negligentiae, accusemus, nisi de mortuis bene et sentire, et dicere, mallemus: certe mirandum non sit, si rerum non satis cognitarum sint errore decepti, qui altero seculari prioris ordinem secundum Professorum seriem digesserunt: quod in primis Henningo Vittio usu venit, qui Io. Dauthium, Francum, Scriptis varii argumenti clarum, inter Antecessores Iuris Vitembergenses refert, quem tamen aliquandiu Lipsiae quidem, minus autem Vitembergae Saxonum, publica auctoritate docuisse, ipse ad librum *de testamentis* praefatur. Diligentius agam, et, quantum in me situm est, circumspectius, quo maioribus nostris officium pietatis faciam, et illarum rerum memoriae consulam, a quibus Academiae historia lumen mutuatur.

Primum nominavi IO. ZANGERVM, patria Brunovicensem Saxonem, ortu gentisque nobilitate clarum, auctoritate praecipuum, vita propositoque sanctum, animi acrem, laboribus invictum. Quibus abundavit doctrinis, et quanta fuerit iudicii facultate, ingenii monimenta, posteritati relicta, testantur, sigillatim liber *de Exceptionibus*, doctus sane et prudens, maximique ab omnibus eruditis aestimatus. Eloquentiae testem orationem cito, quam in ipso seculari Sacro habuit, animi sanctitate gravem, spiritu excitatam, sententiarum pondere sapientem, nec verbis incultam. Sex et viginti annos iuris docendi provinciam hic sustinuit, et discipulorum colonias emisit, ac tandem anno illius seculi septimo quinquagenarius decessit, ut hoc illius marmor loquitur, praeses Collegii Iuridici, neque huius tantum, sed totius etiam Senatus Academici, Senior, nec tam aetate senioque confectus, quam pertinaci laborum studio debilitatus. Cum seculi decimi quinti anno nono et nonagesimo magistratu abiret, ei tabellam in templo Fidei ac Famae suspensam cupiit ad posteritatem Fridericus Taubmannus, Poeta, quam Gothofredus Svevus in Historia Academiae Vitembergensis excudendam curavit. Bene precare tanti viri manibus, Alma Mater, qui honori commodoque tuo, studere consvevit: et vos, o cives, salutate hos cineres, in illo conditos tumulo, viri de nobis bene meriti, qui anno quingentesimo septimo et octogesimo admotus Academiae gubernaculis, auctoritate prudentiaque sua effecit, ut illa mille florenorum summa, qua communem convictum procurat oeconomus, indulgentia Serenissimi Nutricii, Divi Christiani I. fidei Academicae expediretur primum et concrederetur.

Proximus a Zangero fuit LVDOVICVS PERSONA, ortu Vitemberga-Saxo, culti vir ingenii, et svavitate moris elegantiaque commendabilis, nec magis dicendi, quam agendi peritus. Principio vetus Ius Quiritium, Pandectarum libris comprehensum, postea Codicem, publica muneris auctoritate interpretatus est, et multis egregiae disciplinae meritis iuventutem, legum cupidam, cumulavit. Tantis eminuit virtutibus, et tantam perspicacis iudicii laudem adeptus est, ut eum Saxo Septemvir anno Sexto in aulam acciverit, eiusque consilio in iure dicundo usus sit, extra dilationem positi, et tantopere probati cunctis, ut in Zangeri locum suffectus fuisset, nisi paucis ab illius excessu hebdomadis, non levi iurisprudentiae detrimento, Dresenae e vita excessisset. Quantum dicendo potuerit, scita declarat oratio, anno quingentesimo, octavo et nonagesimo in solemni Doctorum renunciatione de Vitemberga publice recitata, tantaque industria composita, ut omnem status Academici historiam exponat, et velut secularis instantis solemnia praecipere videatur.

Per-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0176-7 DFG

Personam in ordine Iuridico excepit BARTHOLOMAEVS REVSNERVS, Vratislavia-Silesius, gener Io. Zangeri, cui, socero, et paulo post Persona, mortuis, munus tradendi iuris Pontificii demandatum, atque illa delata est dignitas, quae amplitudine ceteris ordinis huius antecellit. Quas suscepti muneris partes cum decem et sex annis magna fide, cura, innocentiaque sustinuisset: novus, idemque amplissimus, accessit honor, ut anno seculi, in quo versor, quarto et vicesimo, auctoritate iussuque Principis Electoris in summum provocationum Senatum allegeretur. Praeter insignem accuratamque iuris universi scientiam, rerum divinarum tam peritus erat, ut alius vix magis, qui in eo studiorum genere totum se collocasset. Adiuvabatur autem magnopere Graecarum Ebraearumque literarum cognitione, quam habebat tantam, ut harum magistris palmam facere dubiam videretur. Taceo linguas artesque ceteras, quas capacissimo complexus est ingenio, et ad reliqua laudum ornamenta, tanquam cumulum, adiecit. Obiit anno seculi eiusdem nono et vicesimo magnis perfunctus laboribus, quibus quinque et triginta annis nomen decusque Academiae maximopere auxit.

Reusnerum, nullo interiecto, sequitur LVCAS BECMANNVS, patria Hamburgensis, magnam industriae ac fidei, summam solertiae et dexteritatis in rebus gerendis gloriam consecutus. Tantae fuit et opinionis et auctoritatis, ut Ducum, Principum, aliorumq; Procerum, plurimi operam eius sibi conciliarent, eademque ipse Princeps Elector Saxo in Senatu, qui provocationum causas disceptat, uteretur. Raro vitae exemplo laboribus firmari, non frangi, videbatur: diem actu rerum consultationibusque transigebat: noctem itineribus plerumque impertiebatur: ut, cum in varias muniorum curas distraheretur, nulli tamen parti administrandi officio deesset. Dignum memoria est, et ad posteritatis exemplum spectat, religionis studium, quo inflammabatur tanto, ut sine lectione sacrarum literarum nec prandere, nec coenare, vellet. Naturae debitum reddidit anno illius seculi quarto et vicesimo bene de iurisprudentiae studiis meritus, quae sex et vigenti annis doctrina publica illustravit.

VOLFGANGVM HIRSCHBACHIVM, patria Gothanum, praeterire nolo, perelegantis virum ingenii, morumque cultu ad summam vitae civilis elegantiam expolitum, tam disertum denique, ut pauci dicendi facultate pares ei ponerentur. Dignus est visus atque habitus, a PR. Electore, Divo Christiano II. qui Augusti fratris quinquennium, quo Rectoris Magnificentissimi nomine Academiae praeesset, consilio gubernaret, eiusque studiis praeficeretur. Nec vero defuit muneri suo, magna prudentiae laude administrato, neque alia in publicae perfunctionis non egit partibus, quibus singularem doctrinam, fidem, industriamque bonis omnibus probaret. Cum autem variis, iisque doctissimis, scriptis dignitatem nominis auxit: tum ea in primis felicitate usus est, ut anno octavo et decimo maximi illi Duumviri, Conradus et Benedictus, Carpzovii, fratres germani, de quibus postea exponam, ipso praeside, Dissertationem solemnem *de Regalibus*, eamque copiose ac pererudite conscriptam, et Patri, Benedicto, dedicatam, tuiti sint, exemplo perraro, dignoque, quod ad posteritatem referatur. Tanta vero fuit illorum fratrum Carpzoviorum coniunctio, studiorumque similitudo ac consensio, ut iuris disciplinam perpetuo diligentiae contubernio persequerentur. Nec praetereundum est, illos, ortu Vitembergenses, eosque solos, et alterum quidem novem, alterum septem annorum puerum, ipso Academiae nostrae natali primo, Pro-Rectore Davide Rungio, Theologo, in album studiosorumque, fortunatissimo spei auspicio, relatos fuisse, ut tabulae publicae testantur. Vita functus est Noster anno illius seculi vicesimo, et praeconem laudis suae habuit Georgium Hornium, qui cultissimo carmine ei iusta fecit, Senatus Sacri, qui hic habetur, Orator quondam, et Graecarum Latinarumque literarum, raro profectus exemplo, peritus.

Etsi vero hi saecularis, quod primum festo ritu fecit Academia, solemnibus interfuerunt: tamen praetermittendi non sunt ICtorum Duumviri, qui paulo ante iuris disciplinam auctoritate publica professi, ad alia vocati munera, de hac statione discesserunt. Neminem hi fugiunt qui THOMAM FRANZIVM, Magdeburgicum, et BENEDICTVM CARPZOVIVM, Brandenburgicum, non ignorat. Alterum idcirco collaudare nolo, quod ingenii moni-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0177-3 DFG

menta virum loquantur, eiusque celebritatem nominis iamdudum per orbem, literis excultum, longe lateque propagarint. Ne plura dicam, mentionem facio doctissimarum dissertationum, quibus iuris beneficiarii, quod sequioris aevi verbo Feudale nominamus, professionem exornavit, et intelligentibus artis huius iudicii admirationem iniecit. Honor, quem merebatur Franzius, cum Academiae damno coniungebatur, cum eum Enno perillustris Comes in Frisiam, qua ad orientem spectat, evocaret, factumque summi Senatus principem in amplissimo dignitatis gradu collocaret. Quamquam, dimissa tandem ea dignitate, in patriam se recipere, eidemque, Syndici nomine, per reliquum vitae tempus inservire maluit, in eoque honestissimo munere anno quarto et decimo decessit. Alter vero, cuius Carpzovium nomen poenitere non potest, ipso seculari anno, ante institutam solemnis apparatus celebritatem, quam Pandectarum professionem anno illius Seculi primo adierat, cum maioris honoris fortuna commutavit, a Serenissima Principe Sophia, Divi Christiani I. vidua, Dresenam accitus in aulam, et summa Cancellarii dignitate affectus. Ab excessu Sophiae, quo annus illius Seculi secundus et vicesimus insignis fuit, singulari indulgentia Heri sui, cum omni familia Vitembergam revertit, ut a turbis strepituque aulae in portum perfugeret, et tot negotiorum taediis curisque defatigatus, sapientis otio perfrueretur, aetatisque relanguescentis vires quietis fructu refoveret. Ab otio negotium seiungere non potuit, propterea quod summo provocationum consilio adesse non destitit, et PR. Electoris iussu multa, eademque gravissima subinde negotia confecit. Interest posteritatis, non reticeri exemplum viri, patriae amantis, qui, cum mense Iulio anno illius Seculi quarto et vicesimo febri quartana laborare coepisset, valetudinem tamen non excusavit, sed Kalendis Sextilibus conventum, qui a Proceribus Circuli superioris Saxonici agebatur Iutroboci, adiit, quo Hero morem gereret, et obsequii fideique documentum daret, testareturque omnibus, quantopere reipublicae salutem suae anteferret. Nam octavo post die revertens, maius detrimentum virium cepit, auctaque corporis infirmitate, lecto affixus, decessit, vir longiori vita dignus, et in posteritate vere bene dictus. Namque filios procreavit Theologos pariter ac Iurisprudentes plane incomparabiles, *Conradum*, de quo mox dicam, *Benedictum*, illum Saxoniae Papinianum, cuius multa, eaque eximia, scripta non Germani solum, sed externi quoque populi, maximi faciunt, ex iisque gravissimarum disceptationem rerum repetunt, *Christianum*, in Academia cis Viadrum iuris Antecessorem, *Io. Benedictum*, Theologum Lipsiensem, facultate iudicii praestantissimum, et voce scriptisque celeberrimum, denique *Augustum*, Serenissimi Saxoniae Ducis ex Altenburgensi propagine Cancellarium, Consiliarium intimum, et Praefidis officio in Ducatu Coburgensi functum, quem cum omni gente Carpzovia quanti fecerit Io. Strauchius, Germaniae Cuiacius, nuncupatione, qua dissertationes ad ius Iustinianium anno Seculi proxime superioris nono et quinquagesimo inscriptae sunt Augusto, admonemur. Ab illo autem Io. Benedicto, quod ad dignitatem posteritatis eius referatur, orti sunt illi quatuor viri, fama, doctrina, virtute, longe lateque per orbem celeberrimi, *Io. Benedictus*, Theologus Lipsiensis, vir heroi plane spiritus, *Augustus Benedictus*, ICtus et in eadem Academia Antecessor, *Samuel Benedictus*, a concionibus aulae Elect. Sax. primariis et consiliis ecclesiasticis, Saxoniae Chrysostomus, denique *Fridericus Benedictus*, Polyhistor, quorum primum natu quartumque obiisse, merito dolemus, reliquos superstites quanta possumus honoris testificatione, veneramur.

Venio ad illos, qui superioribus docendi potestate, fideque successerunt. Ordinem ducit ERASMVS VNRVHIVS, patria Torgaviensis, procreatus antiqua gente, quae ducentis amplius annis virtute, fama nominis, fortunaque floruit, et domi forisque res multas gessit, atque Imperatorum, hisque creandis Septemvirorum, et Principum Procerumque aliorum gratiam egregiis cumulatisque meritis conciliavit sibi ac devinxit. Videre mihi videor Catonem quendem Saxonem, cum viri huius in mentem venit, quem natura ad incredibilem gravitatem constantiamque animi finxerat, prudentia rerumque usus ad expeditam in conficiendis negotiis facilitatem solertiamque perfecerat, et fides religioque animi in tuenda officii ratione tantopere obfirmaverat, ut id potius intueretur, quod se facere dignum

gnum esset, quam quod alii laudaturi forent. Agendi rationes in numerato habebat: quod consilium, ratione bene subducta, ceperat, forti animo perficiebat: secutus vitae morumque genus, quod facta dictis coniungeret, et tergiversandi cunctandique, ubi causa deesset, institutum in partem ignaviae ac langvoris, aut perfidiae quoque interpretari, atque id demum agere solitus, ut sancti, prudentis, et efficacis existimationem exemplo vitae sustineret. Tanti gloria viri manavit latius, nec solum Patres ei virtutis admiratione coniunxit, sed illustrium etiam hominum studia benevolentiamque excitavit. Anno illius seculi quincto Ludovico Personae in dignitate tradendi Codicis, titulo Professoris extra ordinem, futurus successor destinatus est, tantisper dum anno octavo in plenam possessionem illius immitteretur muneris, quod ius Quiritium, Pandectarum voluminibus comprehensum, auctoritate publica docere iubetur. Quicquid in hac literarum republica more maiorum gerebatur, quicquid singulari eventu temporum casuumque suscipiebatur publice, eius nihil fallebat illum, cum in omni negotiorum procuratione auctor actorque esset, et praeclari testimonio iudicii, oculus, os, et calamus Academiae diceretur.

Academiae personam sustinuit, causamque prudenter egit, ex Senatus consulto delegatus ad comitia, quae Torgaviam indicebantur. Longum sit, numerum inire virtutum, quarum gloria nemini cessit aequalium, inprimis tam benefica prolixaque erga inopes voluntate affectus, ut nemo mensam communem diligentius curaret, et ipse, singulari liberalitatis exemplo, quoque anno duo Zythi dolia convictui publico daret muneri, eiusdemque in maius meliusque provehendi cogitationem nunquam abiiceret, et Patres ad consilium eius rei capiendum identidem cohortaretur. Excitamini religionis sensu, Cives, et circumspicite tumulum, et colite grata piaque salutatione manes antiqui Patris huius, qui alumnos Academiae filios appellare solitus est, in modumque filiorum, quoad vixit, et dilexit, et fovit. Namque in loco hoc sanctissimo conditus acquiescit, Torgaviae, cum ad postrema comitia Academiae causa isset, anno octavo et vicesimo, mortuus, et inde magno exequiarum splendore, elato funere, Pretschium, quod vicinum est opidum, asportatus, abieoque loco honorifica exceptus pompa, et Vitembergam, magno Patrum Civiumque moerore, relatus. Defuncti funus pro concione laudavit oratione non ineleganti Io. Braunius, Lipsiensis, ratione ductus officii, quod debuit cognato, et illi, in cuius affectu patris amorem beneficiumque non desideravit.

His temporibus Vitembergam non puduit VALENTINI GVILELMI, Valentini F. FORSTERI, de quo ipsa paterni nominis recordatio nescio quam virtutis expectationem commovere videtur. Diu multumque gens Forstera Vitembergae floruit, et, constituto fortunarum domicilio, rebus bene gestis famam auxit. Ipse, quem collaudavi, Valentinus in nuncupatione operis, quod de successionibus inscripsit, in coelum laudibus effert beneficia, quibus Divi Principes Electores Saxones parentes cumulaverint, speciatimque commemorat, patrem ab aetate Divi Friderici usque ad Divi Augusti tempora Vitembergae principio quaestoris, postea iudicis, munus gessisse. Filius, non deposita maiorum memoria, redire huc statuit, primumque anno illius seculi quincto Volfgango Hirschbachio, institutione Augusti distento, iussu Divi Christiani II. vices illius sustinuit, posthac, anno octavo in ordinem Antecessorum pleno iure receptus, tredecim annis ad iuris intelligentiam lumen facemque praetulit, multisque doctrinae speciminibus eluxit, plura, et nescio quae, praestiturus amplius, nisi anno vicesimo conatus fatum occupasset. Quem non solum ingenio, sed etiam labore studioque, magni patris laudes expressisse, certiores non faciunt cultissimae, et doctissimae lucubrationes, sigillatim *Accessiones ad Solonis Leges*, Libri duo *observationum succisivarum*, Paratitla *in Pandectas*, Commentatio *de Iuris interpretibus, de dominio, de nuptiis, de pactis* item *et substitutionibus*, variique argumenti *dissertationes*, quas, nisi ignarus, parvi faciat nemo. Spirant elegantiam scripta, spirant iudicium, et commentandi curam produnt, ingeniumque non ad parva vel natum, vel factum, declarant. Vtraque oratione valuit, et ab ineunte aetate politiori humanitati operam dedit, eximiumque vorsae exemplum prodidit, composito in patris honorem carmine, quod

adolescens scripsit, et senilis prudentiae argumento commendavit.

De CONRADO CARPZOVIO plura dicerem, nisi scirem, eum Carpzovium fuisse. Nam patre ortus est Benedicto illo, quem supra exposui, et omnes prudentes mecum etiam nunc, non secus, ac vivum, admirantur. Quod intelligi, pluris est, quam dici Panegyricos, quos una gens Carpzovia in tantum non appetit, in quantum meritorum magnitudine vincit. Parum est, Carpzovios laudare, satis ad laudem, nominare. Ne tamen nihil dicam, septem et decem annis iura publica auctoritate in hac Academia docuit, atque in summum provocationum receptus Senatum, aliis tam Electoribus, quam Principibus, imperii consiliis prudentissimis, domo allatis, affuit, tantisper dum a Divo Principe Augusto, Praesule Magdeburgico, delata dignitate cancellarii et consiliarii intimi Halas Saxonum vocatus, viginti annis illustrem spartam incredibili laude ornaret, in eaque anno octavo et qvinqvagesimo defunctus magnum sui desiderium relinqueret, vir avitae virtutis, et doctrina reique publicae regundae scientia par, ut nihil ei ad nomen meritumque illustris Iurisconsulti defuisse videatur.

Ordo rerum, cui insisto, me admonet IEREMIAE REVSNERI, Leorino-Silesii, viri tantis cumulati meritis, quanta multis precemur. Non solum Praeses Senatum Iuridicum auctoritate singulari rexit, sed etiam a Principe Electore in consilium adhibitus, publica nominis amplitudine sese distinxit. Dici vix potest, quanta iudicii gravitate, quantoque rerum usu, quo parem vix habebat, et quanta laborum patientia eminuerit, ut harum gloria rerum concederet nemini, plurimis, et praestantissimis, antecellere videretur. Deo religionem sanctus, socio aequitatem iustus, sibi sobrietatem prudens, approbavit. Vitae gloriaeque satur anno secundo et quinquagesimo diem obiit supremum, cum ab anno primo et vicesimo publica munitus auctoritate, iura docuisset, neque unquam in partibus demandati muneris se remisisset. Dicat pro eo monimentum, quod in hoc templo collocatum, omnis me assentationis absolvit.

Non est praetereundus GOTHOFREDVS REVTERVS, Bitterfelda-Saxo, quem non solum excellens doctrina iurisque peritia, sed par virtutis commendatio, et singulare veri rectique studium, de vulgo doctorum exemit. Initio causas in foro defensitavit, eaque integritate animi ac fide egit, ut magnam apud omnes laudem adipisceretur. Posthac in Collegio Iuridico ad Assessorum adscriptus numerum, nullum officii munus praetermisit, et docendi provinciam inter Antecessores nactus, decem annos eo vitae doctrinaeque genere transegit, in primisque *quaestionibus iuris controversi*, in vulgus editis, a vulgo se distinxit. E vita migravit anno quarto et trigesimo, relicta tam prospera sui memoria, ut nihil ad ostentationem, cuncta ad conscientiam, retulisse diceretur.

Mandetur memoriae virtus HENNINGI GROSSII, patria Vitembergensis, quem ornamentis, Iureconsulti propriis, vere magnum extitisse, patria gloriatur. Nomen quidem magnum loquitur, et omen nomini respondet. Sto patriae iudicio, quae praestantiam civis sui amplissimo, nec corrupto testimonio confirmat. Haec de laudibus illius dicat, quibus ego, hoc minore illius damno, in praesenti supersedebo. Ille vero, posteaquam usque ad annum primum et quadragesimum Vitembergae publica auctoritate iura enarraverat, et multis eruditissimis scriptis, sigillatim vero eo, qvod *de spectris, divinatione et apparitionibus spirituum* edidit in vulgus, famam nominis longius retulerat, Francofurtum cis Viadrum accitus non minori laude Antecessoris munus obiit, anno primo et quinquagesimo vita ibidem functus.

Vitembergensi Vitembergensem adiungo IO. STRAVCHIVM, Praesidem Senatus Iuridici, et dignitate loci, quem in Principis Electoris tenuit consiliis, insignem. Heri Saxonis accitu, Dresenam commigravit, datoque in aulae Senatu loco, consilii vim et dicundi iuris peritiam magna omnium admiratione explicavit. Mortuo, quem dixi, Bartholomaeo Reus nero, delatum honorem praesidendi Ordini Iuridico non recusavit, eiusque capessendi causa anno illius seculi tricesimo in patriam revertit, neque eum muneris, nec munus Academiamque Strauchii poenituit, tam excellenti doctrina praediti, tantoque rerum usu exerciti ac subacti, ut omnibus occupationum difficultatibus ubique sufficeret, et

tam

tam propensi erga Academiam animi, ut cuique diei magnum sese beneficium debere crederet, quo de illa, pro eo, ac vellet, bene mereretur. Habent, quem nominent, Iureconsultum, neque hunc de triviis circulisque vulgi, doctores, qui sapientiae studium iuvenibus iuris studiosis non inique commendant. Hic enim, si quisquam, philosophiam et coluit, et tanto vehementius laudavit aliis, quanto maiorem ex eius studio utilitatem ad se redundasse existimavit, illarum cognitione rerum non tinctus leviter, sed ad perfectam quandam exquisitamque scientiam eruditus. Sermonibus hoc sale conditis delectatus est, cum iisque iucunde ac libenti animo versatus, qui haec doctrinarum genera vel traderent, vel adamarent. Testentur huius viri ingenium doctrinamque scripta, egregia sane, in primis quae *de successionibus ab intestato*, item *de legitima* prodierunt. Decessit altero Academiae consulatu anno nono et tricesimo, quem magna reipublicae gerundae prudentia gesserat, nemini sine desiderio memoratus, nisi qui vel eius virtutes non intelligeret, vel de virtute ipsa non optime sentiret.

Tertium civem Vitembergensem non tacebo CHRISTIANVM, Friderici F. TAVBMANNVM. Cui equidem crederem, nihilo minus ad opinionem laudis non exiguae vel unam paterni nominis celebritatem sufficere, nisi nossem, eum aliud vitae genus secutum, operam dedisse, ut artis paternae gloria, in domum familiamque illata, novi, neque inferioris, instituti commendatione cumularetur. Nullius aures ad nomen Taubmannum adeo obsurdescunt, quin Friderici veniat in mentem, Graecarum Latinarumque literarum in Saxonia Vindicis, Poetae sine exemplo aetatis suae maximi, viri denique tam praestantis, ut non solum inter Saxoniae Germaniaeque, sed etiam inter Europae ornamenta referatur. Progenitori non fuit pudori filius, et cum innocentia moris, accurataque iuris intelligentia, amplissimam scientiam pulcerrimarum quarumque rerum coniunxit. Mirum dictu, quantopere amicis paternis indolis indicio probatus fuerit adolescentulus, in primis Iano Grutero, et Ioanni Meursio, viris aevi sui clarissimis, et antiquitate doctrinaque summis: maxime tum, cum, mortuo patre, commentaria, in Poëtarum principem concinnata, e schedis patris seligeret, atque in lucem edenda curaret. His tamen literis, quibus eleganter intervalla negotiorum dispunxit, vitaeque taedia mitigavit, non trivit aetatem, sed ad augendum iurisprudentiae decus praecipue spectavit, in eoque munere fidei existimationique suae consuluit, et rei bene gestae gloriam reliquit, defunctus anno primo et quinquagesimo, cum inde ab anno quarto et tricesimo susceptam, eamque statam, docendi provinciam ornasset. Quo magis orbis, qua patet, ingeniis excultus Taubmanni nominis, paternaeque gloriae heredem atque amplificatorem veneratus est: hoc dolet gravius, gentis, in tantum honoris fastigium evectae, gloriam elatam esse cum illius funere, ac sepultam.

Satius est, lugere, quam laudare CORNELIVM KRVLLIVM, ortu Quedlinburgensem, non quo in ingenii facultate, quae praestantissima fuit, aut in doctrina moribusque, quibus antehac multorum primae nobilitatis studia moderatus est, quicquam desideretur, sed quoniam prius, quam publice prodesset, fatis concessit. Nam anno primo et quadragesimo quam munere tradendi iuris potitus erat, Dresenae spiritum reddidit, doctrinis plurimis lectissimisque cumulatus, et sigillatim *Vindiciis Mauricianis* praeclarus, sed valetudine tam tenui atque infirma, ut in conatu rerum maximarum morbo succumberet, nec commentando scribendove, quae destinaverat, exequi, neque aliorum expectationem, quam commoverat mirificam, sustinere posset. Sed quamquam opinionem eius fortuna fefellit: tamen in laude ponatur voluntas, et plenum gloriae propositum, de iurisprudentia, reque publica, quoad eius fieri posset, bene merendi.

Non melius usu venit FRIDERICO PRAETORIO, Grabovensi Mecklenburgico, Benedicti Carpzovii in toro successori. Hic eodem primo et quadragesimo anno in tabulas Antecessorum relatus est, cum abdicasset se magistratu, quem in aula Quedlinburgensis Antistitae amplissimo Cancellarii titulo integris sex annis magna prudentiae laude gessit. Sed, ut agi cum rebus humanis solet, praeter opinionem omnium altero, quam accesserat, anno secundo et quadragesimo vivere desiit, cuius magnum integritatis bonaeque mentis studium, morisque mansvetudo et comitas, ac singula-

ris de omnibus, et nominatim de iuventute Academica, bene merendi cupiditas, summa omnia pollicebantur.

Moveor auctoritate nominis, cum incido in AVGVSTINVM STRAVCHIVM, patria Delitianum, virum, in quo natura, quicquid efficere possit, videtur experta, et sibi nimium indulsit, cum uni ea tribuit cuncta, quorum singula vix multis impertitur. Natura cum virtute, virtus cum fortuna, in eo perficiendo contendisse videntur. Bataviam adiit, Lugduni commoratus est, in Angliam traiecit, venit in Galliam, regiam Parisiorum sedem lustravit, florentissimas etiam illius regni provincias, Academiasque, peragravit. Cuiacio, Donello, Hotomanno, Duareno, Mercerio, in primisque eruditissimo Meryllio familiariter usus est. Ad Helvetios quoque accessit, et Genevam cum primis exploravit, revertensque Brisacum pervenit, et Argentorati haesit. Postea tabulis, publica Principis auctoritate munitis, quae in Galliam submittebantur, reditus admonitus, atque ad legitimum docendi munus revocatus, principio anno primo et quadragesimo Institutiones Imperiales, mox Pandectas, demum Codicem, enarravit, et magna omnium admiratione exceptus est. Sub haec tempora in summo quoque Saxoniae tribunali cum ceteris iustitiae clavum tenuit, et ubique tanta sese virtute praebuit, ut in disceptatione controversiarum, quae ad maioris momenti pertinerent munia, dominaretur prorsus. Non reticendum est hoc loco, eodem Augustino Decano, inter alios clarissimum Aulae Brandenburgicae lumen, Fridericum de Iena, posteaquam in hac Academia cursum studii iuridici confecisset, anno quincto et quadragesimo primos in iure honores obtinuisse. Quod institutum ipsemet tam constanti consilio est prosecutus, ut anno tertio et quinquagesimo, Academiae Viadrinae Antecessor, et iuridici ordinis ibidem Decanus, Doctor iuris utriusque, Decano, eodemque Rectore, Gothofredo Svevo, renuntiaretur. Fortes creantur fortibus, nec potuit ab Augustino Strauchio alius, quam sui similis, creari. Habuerunt, et habent etiam nunc in Aula Regia Borussica illud fortunae genus Eruditi, in primisque iuris Antecessores, ut Academicis exercitationibus subacti, atque ad rem publicam gerendam praeculti, ex Academia in Aulam evocentur, et difficillima quaeque negotia, felicissimo rerum eventu procurent. Dicant pro me, de quibus satis digne res publica dicere non potest, illustria Fuchsiorum, Rhetiorum, Spanheimiorum, Cocceiorumque exempla. Nec vero Augustini nostri praestantiam ignoravit Princeps Saxo, eumque gratia complexus est, et maximis quibusque negotiis adhibendum duxit. anno tertio et quinquagesimo praeclare illius ore prudentiaque usus est, cum Ferdinandus, postea nominis huius quartus, Rex Romanorum, seu, veteri more, Caesar crearetur. Quadriennio post, cum Leopoldus solemni inaugurandi formula renunciatur Augustus, suscepta heri sui persona, testis introiit conclave. Anno quarto et sexagesimo comitiis, quae Reginoburgi agebantur, affuit, et pro Principe decem annis curavit, plurimis interea delegationibus adhibitus, quae imperii causa statis temporibus instituuntur. Haec dum geruntur, in comitiis illorum, qui Protestantium censentur nomine, senatui praefuit, et saepenumero coram Augusto verba fecit, causamque religionis non semel tutatus est. Minus est, quod dixi, cum potius ad posteros, qua avitae libertatis iura in sacrorum causa tuentur, memorandus sit, quod omnia fere Comitia Caesarea humeris sustinuerit, negotiorum difficultates expedierit, quae nocitura videbantur, ad salutem converterit, tam bene de sociis meritus, ut iustitiae tribunal, religionis ara, prudentiae delubrum, moderationis domicilium, humanitatis sedes, mansvetudinis sacrarium, omniumque virtutum inexhaustus quidam thesaurus videretur. Magnitudo viri ipsius iudicio Imperatoris Ferdinandi III. aestimetur, qui anno quarto et quinquagesimo suapte manu ad hunc scripsit, eundemque solemni evocandi ritu in imperii tribunali assidere, et aulae a consiliis esse voluit, deprecantem modeste honorem, quod Patri patriae officium praestare, eodemque anno delatam Ordinarii Praesidis in hac Academia dignitatem accipere mallet. Tanto Germani nominis ornamento gloriata est Academia, sed orbari coepit, cum vir rerum gerendarum dexteritate maximus, anno secundo et sexagesimo a Principe in partem sanctioris Consilii vocatus, in aulam commigraret. Fidem prudentiamque negotiis praestitit, quorum plurima, et gravissima

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0182-0 DFG

ma obiit, pariter ac confecit, nec prius obsequium, quam animam, deposuit, mortuus Reginoburgi anno quarto et septuagesimo, ibidemque magna solemnium pompa frequentiaque illustrium hominum sepultus. Est ibi elogium, in marmor incisum, quod virtutes viri in illustri monimento ponit, nulla posteritatis, si qua grata est futura, oblivione delendas. Qualis autem evasurus esset Augustinus, bene ominatus est ordo Iurisconsultorum, quem ob singularem prudentiam, et elegantiam morum, publicis negotiis magno fore usui, praedixit ac cecinit, cum anno quadragesimo iuvenem interiori Patrum praeiudicio, ut moris est, ad dignitatem Professionis Iustinianeae commendavit.

Bonis recordationibus prosequimur memoriam CHRISTOPHORII VACKII, Numburgensis. Hic tum aliis perfunctus est muneribus, tum anno secundo et quadragesimo ad numerum Antecessorum iuris adscriptus, talem se gessit, ut eius studium, operam, iudiciique gravitatem, non solum discipuli, sed etiam collegae uno omnes ore collaudarent. Acris et recti lumen iudicii ad dirimendas lites, causasque disceptandas attulit, quarum recessus diligenter indagavit, rationem circumspecte distinxit, momenta prudenter expendit. Sine difficultate sententiam dixit, et quod acute perspexit, graviter ac sine fuco exposuit, magnamque retulit laudem, cum tam accurate et incorrupte, quam facile, pronunciaret. Ad hominum genus officiis demerendum natus videbatur, et, quos posset, consilio, re operaque, cupide iuvabat, praesertim viduas, quarum temporibus nunquam invitus subveniebat, causamque sine tergiversatione ac sancte agebat, nulla quaestus spe inductus, sed bonae mentis conscientia fructuque permotus, in quo praecipuum vitae commodum felicitatemque collocabat. Cognitae spectataeque virtutis desiderium reliquit, ictus sangvine, casu morbi, quem Graeci ἀπόπληξιν vocant, anno nono et quadragesimo Cosvigae Anhaltinorum, opido vicino, in arce, cum quatuor et decem annis Anhaltinae Principis viduae a consiliis fuisset.

Novum Vitembergae beneficium dedit Silesia, cum dedit GOTHOFREDVM SVEVVM, patria Leorinum, Bartholomaei Reusneri generum, et nullius commendatione laudis inferiorem. anno quincto et quadragesimo Antecessor iuris publica Principis auctoritate factus, partam dignitatem multis magnisque ornamentis auxit, doctrina solers atque ingenuus, labore constans, iudicio promtus, perspicax, verus, consilio circumspectus, integer, humanus, vita moribusque sanctus. Saepenumero sibi plus imperavit, quam virium modus caperet, cum corpus laboribus affligere, quam publico bono deesse, mallet, omni cogitatione curaque in hoc tant opere defixus, ut nullam privatae utilitatis rationem haberet. Exponant scripta Viri merita, quorum plura, eademque prudentissima, maxime *de pace religionis*, *de criminibus item et feudis*, in vulgus edidit, famamque nominis his laudum praeconibus et protulit longius, et latissime disseminavit. Cum autem doleam, alia huius viri, nescio qua suppressa manu, et quibus coercita scriniis, latitare, digna profecto, quae lucem aspiciant, et conditori decus rependant: tum molestius desidero, quod de Iureconsultorum Vitembergensium vita famaque composuit, instituto, quod suscepi, maximopere profuturum. Excessit anno nono et quinquagesimo natus quatuor et quadraginta annos, ampliori vitae spatio dignissimus, ut conata perficeret, et Academiae diutius prodesset. Sed cum fati lex rescindi non possit, gratulamur nobis de filio collega, in quo recuperavimus, quicquid paternarum virtutum amissum perditumque videbatur.

Deploranda est iactura HENRICI COSELII, Praga Boiemi, et SAMVELIS RITTERI, Hala-Saxonis, quam maturo horum obitu non parvam, nec levem, Academia fecit. Multa meditati sunt animo, nec degeneres curas versarunt, quarum tamen fructum capere fatum non sivit. Alter, gente Boiemus, patria sacrorum causa exul atque extorris, anno nono et quadragesimo iuris tradendi partes sumsit, in primisque perdocto *commentario ad legem unicam Cod. ne quis in sua causa iudicet, vel ius sibi dicat*, exornavit, et, fato consiliis intercedente, deposuit anno septimo et quinquagesimo, desideratus Patribus, et acerbissimo moerore v.c. Augusti Buchneri, soceri, deploratus. Alter ortu Saxo anno tertio et quinquagesimo Antecessoris munus auspicatus, quo Collega anno, obiit in patria, cum invisendi

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0183-6 DFG

causa ad necessarios accessisset. Neutri praesidium aliud, utrique vitae spatium, ad illustrandum iurisprudentiae studium deerat, cum ambo tanta integritate, fide, diligentiaque, locum tuerentur, ut eos nec satis digne collaudarent collegae, nec ceterorum summi cum infimis peraeque non admirarentur.

Discrucior animi, vehementerque angor, cum venio ad virum, cuius incredibili desiderio teneor, et in quo ordo noster lumen, Academia decus, Germania omnis immortale ornamentum amisit. Ecquis enim tui sine moerore animi meminerit, qui te viderit, te audierit, virtutes tuas veneratus, humanitatemque singularem expertus sit, ingenio, doctrina, divinarum humanarumque rerum scientia, diuturno exquisitoque rerum usu, omni laudum genere, sine exemplo maxime, CASPAR ZIEGLERE. Agit atque habet Lipsiae Sororigratias Vitemberga, quae virum tantum non solum anno illius seculi primo et vicesimo genuit, aluitque deinceps et educavit, sed etiam ei dedit, clarum ab incunabulis eiusdem nominis progenitore, Iurisconsulto, et senatus Iuridici, quem Princeps Elector ibi constituit, Patre, reique publicae Lipsiensis ProC. meritorum scriptorumque, quae in luce posita sunt, fama maximopere celebrato. Principio ad sacrae rei studium adiunxit animum, sed posthac, gravibus de causis commutata consilii ratione, iuris legumque disciplinam coluit, ac potius cum divinis doctrinis, quarum cogitationem nunquam abiecit, praeclare copulavit, tam felici fortunatoque laboris eventu, ut in Germania princeps iuris antistes evaderet, meritoque haberetur. Seculi superioris annus septimus et quinquagesimus aditum ad honores ei aperuit, relatusque in album iuris Antecessorum, quoque anno cum aetatis gradu gradum dignitatis, fortunaeque conditionem, melioribus locupletatam accessionibus incrementisque, auxit. Annus illius aevi alter et sexagesimus fastigium fortunae imposuit, quo dignitatem praesidis in Ordine Iureconsultorum cepit, pariter ac locum cum amplitudine non minori coniunctum nactus est in summo Saxonum tribunali, quo provocationum causae definiuntur. Laudes viri voluminis instar exigunt, qui non magis iuris, quam iustitiae consultus fuit, et innocentia Sulpitium, doctrina Mucium, prudentia Papinianum, expressit, omnes vero hos vera religione animi superavit, et dubitationem attulit, utrum Iurisconsulti Iurisconsultum, an Theologi Theologum, an Sapientes Sapientem, et humanitatis lingvarumque periti artificem, in eo maiorem agnoscerent, ac venerarentur. Parum a proiectae vitio audaciae absum, qui magnitudinem viri attingere, nedum explicare, sustineam, cuius gloriam finibus regionibusque Germania non continet, et quem Galli Italique, ac tot aliae gentes externae, amicitia literisque vivum coluerunt, et mortuum in ornamentis Europae commemorant, perculsi admiratione doctrinae, quam praestantissimis et compluribus ingenii monimentis, in vario dissimilique genere argumentorum gravissimorum, mandavit, publiceque testatam fecit. Vt aliqua tantum attingam, nemo tam parum est intelligens, quin *Animadversiones in Hug. Grotium de iure B. et P. ad Lancelloti Institutiones Canonicas commentarium*, *Librum item de iuribus maiestatis et de Episcopis*, denique *Dicasticen et Superintendentem*, admiretur. Idem, qua fuit ingenii svavitate atque praestantia, primus perelegans carminis genus, quod *Madrigal* vocatur, ex Italia in Germaniam deduxit. Laudem singularem consecutus est, cum primus fere ius Pontificium e fontibus arcessivit, et corruptelis expurgatum, ad forum emendatae religionis, magno iudicii exemplo, accommodavit. Dolore afficior, cum ex seculo, quod nuper effluxit, recordor fatalis luctuosique anni nonagesimi, quo Iurisconsultorum princeps a visceribus nostris complexuque abstractus est, et lugente Patrum Senatu, moerentibusque bonis omnibus, in hoc, quo vestigium feci, templo illatus. Consisto ad tumulum tuum, Dive, quem vivum colui, ut patrem: profundo ad marmor tuum lacrymas, quas meritorum recordatio elicit, et desiderio tui ingemisco: veneror sanctas exuvias, et piis his ossibus supremum in ipsis cineribus officium persolvo. Quoad vitam produxero, in praecipuae partem fortunae interpretabor optatissimum quinque annorum spatium, quo in senatu ordinis nostri lumen iudicii de tuo accendi lumine, in omni ratione vivendi, sancte integreque agendi, et recte faciendo neminem timendi, et, quod vitae tesseram dare solitus es, *prout religio suggerit*, sententiam

tiam proferendi, exemplum abs te petii, denique in familiari consvetudine multa, frustra in libris quaesita, didici, et eam uberrimi, doctissimi, ac iucundissimi sermonis tui voluptatem cepi, cuius sensum nulla temporis vetustas ex animo delebit. Occidisti clarissimum Academiae sidus, et Athenis nostris caliginem induxisti. Extinctum es illustre patriae lumen, et iustitiae, quae luce tua collustrabatur, tenebras offudisti. Dolent, qui Ziegleros norunt, tecum virilem stirpem propaginemque defecisse. Sed ea est nominis tui gloria, quam nulla temporum iniquitas obscuret, nulla cuiusquam iniuria opprimar, neque ulla caduci desinentisque generis eversio finiat unquam. Exsplendescis etiam nunc virtute, praelucesque posteris, et, qua scriptorum fama pervasit, luce fulges doctrinae, lateque enitescis, neque in liberis, qui mortales sunt, sed vivis in libris, quos immortalitas ingenii aeternitasque famae tuetur.

Libet interponere hoc loco CHRISTIANVM KLENGELIVM, quem praetererire nominis meritorumque amplitudo vetat. Anno seculi, in quo versor, octavo et quinquagesimo munus publicum viam ad iuris disciplinam praeeundi adeptus, omnibus officii numeris partibusque fidem explevit, et omnium expectationem, quamlibet magnam, doctrinae prudentiaeque exemplis exuperavit. Magnis viri virtutibus ornamentisque, quae administrandae reipublicae, rerumque gerendarum peritia non minimum commendabantur, permotus patriae pater, Divus Io. Georgius II. anno quarto et sexagesimo Vitemberga excitum, in aulam adduxit, primumque aerarii sanctioris, tum interioris consilii, maximo honoris beneficio, participem fecit. Vita functus anno tertio et nonagesimo omnibus, qui et veram iurisprudentiam colunt et publicae student utilitati, ingens sui desiderium reliquit.

Nemo dignior fuit, qui a latere Ziegleri assideret, GVILELMO LYSERO, Vitembergensi, natalium splendore felici, auctoritate, doctrina, consiliique capiendi solertia, praestantissimo, fereque sine pari, quo inprimis auctore huc concessi. Virtute Lyserae gentis, eiusdemque nobilissimae, propria excelluit, et acri cumprimis capacique ingenio maiorum gloriam aequavit, nec minore diligentia, quam celeritate, ad laudis propositae metam contendit. In iis, quae ad Senatum Ordinis referebantur, unus omnium maxime vim aciemque iudicii declaravit, quando et primus scopum nervumque rerum gestarum perspexit, et necessaria discrevit ab inutilibus, et causae momentum recta stabilique pensitandi ratione aestimavit. De meritis viri nulla assentandi causa suspectus, quod non fama, sed auribus, accepi, tribuo testimonium praestantiae, quam propius cognovi, spectavique coram, et admiratus sum, iisque temporibus singularis fortunae beneficium refero acceptum, quibus Lyseri prudentia profeci, iudicio iudicium exacui, et, quod caput rei est, requirere edoctus sum, nec difficulter invenire. Memoretur annus illius seculi octavus et quinquagesimus, quo tantus doctor literatam hanc rempublicam adiit, quantaque animi alacritate munus suscepit, tanta in labore perseverantia, et perpetua laudis amplificatione, administravit. Longe lateque laus Gvilelmi fusa est ac sparsa, quae cum ingenii monimentis, variis et sapientissimis, inprimis *de imperio contra dominium eminens*, et *de Landsassiis*, *Schrifftsassiis*, *Amtsassiisque*, qui vocantur, terrarum orbem pervagatur, et circumfertur ab auditoribus, quorum multi amplissimos honores gerunt, incorruptisque virtutum existimatoribus magni iurisconsulti exemplum describit.

Parum abest, quin annum nonum et octogesimum e fastis expunctum velit Academia, ne acerbissimi obitus, iacturaeque non sarciendae memoria luctum renovet, si ullius, huius certe aetatis malo infelix, quod biennio, eodemque non interrupto, cum Lysero Ziegleroque maximos iurisprudentiae duumviros amisit.

Fraudi sim gentis NERGERIANAE meritis, ni IOACHIMVM illum, Gryphenberga Silesium, memoriae tradam. Primum gradum capessendae huius reipublicae struxit annus illius aevi nonus et quinquagesimus, quem luctuoso mortis genere annus alter et octogesimus evertit. Si mori tamen evertique potest, qui in recte agendi officio, atque in ornamentis doctrinae stabilitatis, et immortalitatis, praesidium constituit, enisus maximopere, ut ingenio bene uteretur, veterumque responsa, sententias, exempla, atque auctoritatem gravi et maturo iudicio temperaret. Sciat, et discat,

ſcat, grati exemplum animi poſteritas, quo hic Reuſneros, Svevos, Schultzios, coluit, ductus officii religione, quam beneficiis acceptis praeſtandam putavit, et impulſus tantorum amplitudine nominum, quorum viam, iterque ad gloriam, virtutis inſignitam atque impreſſam veſtigiis, ſequebatur. His ducibus, ad doctrinam, iisdem auctoribus, ad iuris interpretandi faſtigium pervenit, in eoque collocatus gradu, non minus dignitati, quam utilitati Academiae conſuluit, nullumque tempus bene merendi praetermiſit. Memini, a viro fama, dignitate, meritisque illuſtri, Samuele Strykio, audire, Nergerum dicendi commendatione, et perfacili docendi facultate excelluiſſe, ut ne ſe quidem doctoris huius aut illa puduerit aetate, aut poeniteat inpraeſens. Facile poteſt carere laudibus aliorum, quarum tamen non eget, dum Io. Brunnemanni gloriatur ſuffragio, qui virum hunc quanti fecerit, exiſtimari poteſt, quod libro in vetus ius Quiritium commentario illius epiſtola magnam laudis atque ornamenti accesſionem factum iri putarit.

Non dedecori vel Academiae, vel ſigillatim ordini noſtro fuit VERNERVS THEODORVS MARTINI, Soltquolla Marchicus, tanta vir et virtute, et doctrina, et nominis exiſtimatione, ut utrique non intermoriturum decus attuliſſe videatur. Maximos Clariſſimosque iuris doctores, Schnobelium, Lauterbachium, inprimisque Brunnemannum, Beckerum, Maeſtertium, Vinnium, Viſſenbachium, adiit, in iisque alloquendis, et audiendis, multus fuit, et praecipuae fortunae fructum cepit. Nunquam abiecit cogitationes ad viles humilesque curas, ſed ad faſtigium artis ſuae aſpiravit, et quibus poſſet doctrinae adiumentis, eniti ſtatuit, cultusque capiendi, et eruditionis locupletandae cauſa, ad Cl. Salmaſium et Danielem Heinſium accesſit, amplisſima viros ſcientia, et principatu literarum ſummos. Nullum tam arduum reipublicae legibus regendae munus erat, ad quod procurandum inſtructus non videretur, et Divo Principi, Io. Georgio II. tantopere commendabatur a patribus Academicis, ut eum, ceteris praelatum candidatis, in publica iuris tradendi dignitate collocaret. Honores honoribus cumulati ſunt, et amplitudo amplitudine crevit, ſplendorque munerum maximus acceſſit, et nominatim ſummus provocationum ſenatus, in quem cooptatus eſt, eximiam laudem auctoritatemque comparavit. Me quidem laudatore opus non eſt viro, quem ſcripta laudant, quorum plurima, eademque doctrina omni referta, extant, et a doctis leguntur, maxime in periculoſisſimo iurisprudentiae forenſis genere, quo *criminum civilium* iudicia definiuntur. Hoc tamen ad poſterorum valet exemplum, atque ad Academiae honorem pertinet, fuiſſe virum, qui nec rempublicam, nec conſcientiam, quaeſtui habuerit, et ſummam utilitatis rationem muneris ſancte adminiſtrati gloria menſus ſit, totumque vitae tempus harum ſtudio rerum conſumſerit, quae moderatione animi, virtutis amore, dignitate vitae, doctrinae praeſidio, humanitatis cultu, nec minori iudicio, uſusque prudentia continentur. Vitae finem habuit anno ſeculi, quo vixit, quincto et octogeſimo, relicto praeter alios filio, Vernero Theodoro, cui ad aſſequendam paterni nominis exiſtimationem nihil, praeter vitam, defuiſſe recordamur. Doletis mecum, Patres, et merito doletis, cum recogitatis acerbisſimum funus eruditisſimi et clariſſimi iuvenis, in quo eluxit ingenium, ad ſumma laudis ornamenta inflammatum atque excultum, doctrina, ſi cum aetate comparetur, maxima vereque ſingularis, iudicium limatisſimum, modeſtia humanitasque moris, omnes omnium caritates complexa, gravitas vitae vix a ſenibus expectanda, ſanctitas animi in exemplum laudari publice ſolita, ceterarumque virtutum decus ornatisſimum, omnium artium, ſcientiarum, diſciplinarumque admirabilis cognitio, et dicendi facultas, literarumque ac lingvarum plurium intelligentia, ad quoddam artis faſtigium evecta, ut neſcio quem eminentis gloriae Iurisconſultum nobis redditurus aliquando videretur. Fruſtratus eſt optata noſtra, ſpemque cum illo perculit annus elapſi proxime ſeculi octavus et nonageſimus, et unam hanc poteſtatem nobis fecit, ut lugeamus iuvenem in aetis flore, conatuque maximarum rerum, fato oppreſſum, inprimis mihi, qui, ſuffectus in locum Divi Patris, filium in oculis tuli, eumque, quibus potui rebus, adiuvi.

Numeret in ornamentis ſuis nobiliſſima gens LEDERERA MICHAELEM FRIDERICVM, Michaelis filium, Henrici Coſelii generum, cuius nec civis patriam hanc, nec

nec doctoris Academiam, unquam suppudebit. Tam excellentis fuit ingenii, ut Latinarum, Graecarum, Ebraearumque literarum cognitionem exquisitam puer combiberet, et sexto decimo aetatis anno scitam elegantemque orationem recitaret, unamque et alteram dissertationem argumenti, e sapientiae studio petiti, in conspectum eruditorum proferret, et fortiter tueretur, patribus indolem adolescentiamque mirantibus, et augurantibus talem, qualis postea evasit. Praestantissimi cuiusque decoris cogitationem animo complexus est, et in ignoratione hominum iacere, situmque ducere noluit, neque optati huius spe cecidit, usus inprimis opera consilioque maximi Antecessoris Salani, Io. Strauchii, qui eum ad illud doctrinae fastigium provexit, ut publica ingenii laude, datisque specimibus efferret se altius, et eruditis aulaeque cognitus ac commendatus, anno superioris seculi quincto et sexagesimo locum in ordine nostro cum potestate iuris explanandi obtineret. Fide docendi cessit nemini, publice commentatus est, quibus doctiora ne doctissimus quidem requireret, neque effutiit sua, sed edisseruit, palmamque gloriae in conscientia praeclare factorum posuit, et laborem non expectavit, sed postulavit, spreto deliciarum genere, quod viri prudentis gravitate sapientiaque indignum iudicavit. Industriam viri loquantur monimenta, quorum plurima literis mandavit, et doctis probavit hominibus, ex iisque illa inprimis percelebrata *de bestiali iure*, *de origine* item *privilegiisque Electorum*, plura, et aetatis progressu limatiora, daturus, nisi annus seculi quartus et septuagesimus ei vitae, et aliis expectationis, finem attulisset.

Eorum, qui decesserunt, extremum ordine, sed nemini superiorum ingenio, maximarumque virtutum ornamentis, secundum, nomino GEORGIVM MICHAELEM HEBERVM, Vitembergensem. Vos, Patres, vos testor, qui iudicii facultatem, doctrinae variae et elegantis apparatum, dicendique copiam et delectum, et summam viri in agendo loquendoque prudentiam admirati estis. Nunquam tam nimium dixit, quin parum dixisse videretur, cum tantam adhiberet oris commendationem, ut sine satietate fastidioque audiendi detineret audientes, mirificeque delectaret. Quod miremur, licet, in Iurisconsulto, qui agere, quam dicere, mavult: nisi quod hic cum agendi solertia dicendi laudem exaequavit, singulari naturae bono, quae eum non ad scholam, sed ad aulam, non ad umbram, sed ad lucem, genuisse, et cum disciplina civile, sobrium, nervosum politumque dicendi genus in eo absolvisse videbatur. Existiment, qui hunc, publica urbis voce ad Principes verba facientem, audierunt, et confiteantur, eum civilis oratoris perfectum decus ipsius laude actionis defendisse, oratoribus ceteris palmam praeripuisse, et iis, qui artem factitent, exemplum morum vitio non peccandi dedisse. Quantopere moverit Zieglerum, cum alterius uxoris funus pro concione laudaret, argumentumque solatii ab illius Symbolo: *prout religio suggerit*, peteret, ipse meminia Iurisconsultorum principe audire. In omni congressu animo moderatus est, neque egit, cuius facti eum poenituerit, et prudentia accommodandi, quae expromta tenebat memoria, singulari excelluit, morisque suavitate atque elegantia asperrimi quemque ingenii cepit, nec quicquam cavit magis, quam ne cuius offensam re verbove excitaret. Vbique vultu, voce, actu, constantiam pariter ac gravitatem testatus est, neutram tamen a comitate seiunxit, moresque tetricos illiberales prorsus reputavit, ac sapiente, nisi desipere velit, indignos. Decipi, cum ratiocinari possis, turpe, et recte facere, ut facere videaris, fraudulentum duxit, non temere dicere, et aliis commendare solitus, nervos atque artus esse sapientiae, non temere credere, et suam cuique conscientiam amplissimum esse theatrum. Nolo laudare Heberum, qui maioris eloquentiam praeconis exposcit: hoc solum dicam, non de Schola homines in eo et docti, et elegantis, Iureconsulti damnum doluisse. Quam auspicatus fuit annus superioris seculi alter et octogesimus, qui tantum virum Academiae ordinique nostro dedit, tam infelix appelletur huius, quod coepimus, seculi secundus, qui eum nobis, nihil tale metuentibus, ademit.

Ades, Vitemberga, alma et feracissima tot ingeniorum parens, ades, et divinum agnosce beneficium, quo tam felicis es uteri, ut parias tot viros celeberrimi nominis, tot publicos maximosque doctores, et inter hos Iureconsultos, quorum plurimos commemoravi.

Percensui, Auditores, summatim sacerdotes

tes iustitiae, qui alteri Academiae seculo interfuerunt, mortuos iam terraeque mandatos. Iniquus sim, ni reminiscar amplius, quanta possim pietate, illorum, qui ad ordinem nostrum ascripti, et assidendi iure praediti, voce scriptisque civibus Academicis profuerunt. Longum est, referre singulos, de quorum meritis gloriaque nihil detractum volo: tacitus tamen praeterire non queo TIBVRTIVM RVHELIVM, GEORGIVM et NICOLAVM, SCHVLTZIOS, MICHAELEM LEDERERVM, CHRISTOPHORVM BRESLERVM, CHRISTOPHORVM RITTERVM, qui iam tum in summo provocationum Senatu dignitate perfunctus est, ac posthac in aulae consilio eminuit, et LVDOVICVM LENZIVM, qui etiam nunc superstes, Serenissimo Duci Saxonum Veissenfelsensi in Senatu Sanctiori, et munere Vicecancellarii, egregiam operam navat. Quantopere autem in primis G. Schultzii *Synopsis Institutionum Imperialium* se efferat, omnes nostis, qui iuri datis operam, quum eo praecipue usus accommodatioque, perraro illius aevi exemplo, edoceatur.

Festino ad vivos, et Academiae ordinique nostro gratulor de illustri nomine SAMVELIS STRYKII, quem felicissimus seculi superioris annus nonagesimus praesidem nobis impertitus est, ea meritorum laude cumulatum, ut nec digniorem successorem Zieglerus ipse sibi optarit, neque Academia plura, quam Ziegleri disciplina quondam dederit, beneficia a veteri optimoque alumno sese recuperasse, gratissima non fateatur. Tanto vehementius dolemus, eum anno, qui insequebatur, altero et nonagesimo Halas Saxonum discessisse, et, cum aliam gratiam referre non queamus, quam possumus optime, fortunae salutique eius precamur.

At vestra, quorum laboribus maxima capit incrementa ordo noster, tam singularis modestia silentii legem mihi dicit, nec sinit in laudis campum excurrere, quem mihi amplissimum vestrorum momenta meritorum aperuerunt. Quamquam me interprete ne egetis quidem, cum splendor virtutum vestrarum luceat late, omniumque oculos praestringat. Has intuebitur posteritas, has, quoad homines erunt, laudabit, praesertim cum bene de iuris disciplina, bene de republica, Academiaque mereri nunquam desistatis.

Abs te vero, Deus immortalis, cuius auspicio haec literarum sedes a fundamentis excitata est, cuiusque praesidio stetit, et stabit, publica voce precor, serves propugnatorem literarum patriae Patrem, tuearis Regium iuventutis principem, spem patriae, Rectorem nostrum magnificentissimum, propugnes pro Academia hac, eique immortalitatem addas, omnes eiusdem ordines defendas, atque in immensum augeas, inprimis eum, qui pro iustitia excubat, incrementis extollas, Patresque universos ac singulos cum civibus custodias, et facias demum tribuasque nobis, ut e tanto temporum discrimine servari, otium cum dignitate semper retineamus.

Ita vero laetior ad Te accedo, Nobilissime, Amplissime, Excellentissime, Experientissimeq; Vir, Paule Gothofrede Sperlingi, Artis Salutaris Doctor, et Professor maximopere celebrate, Serenissimi Principis Servesta-Anhaltini Archiater gravissime, in quem, quod Numini maiestatique suae gloriosum, et literarum ornamentis felix faustumque, ac reipublicae huic fortunatum esse, Rector Rectorum iubeat, more institutoque veterum, concordibus Patrum suffragiis, Consulatus Academicus est transferendus. Laetor occasione, gaudeo tempore, quo Tuae, Collega exoptatissime, dignitati servire queam, cui recordor, proxime superiore consulatu eadem insignia a me publice tradita fuisse.

Primum Tibi submitto Academiae *fasces*, quibus Legum et publicae potestatis praesidium Friderici Imp. auspiciis constitutum est. Deinde *codicem* Tibi offero, qui tanto maiori cura Rectori defendendus est, quanto praestantiora privilegia Academiae eo continentur. Praeterea *sigillum* trado, quo monumenta tanquam quodam fidei auctoritatisque publicae instrumento muniri solent. *Claves* insequuntur, maxime ut commonefieret Rector, custodiendum esse aerarium, sumtusque publicos prudenter faciendos, et sanctitatem disciplinae conservandam. Cape tandem atque indue *purpuram*, quam a purpuratis Patribus, ex auctoritate Pontificis, si mutuati sunt Academiarum Rectores, ii non quidem Pontifici morem gerere debent, ut omnis literatorum coetus subducatur imperio principum, eique pareat uni. verum, sicut tradit Onuphrius, Cardinales, qui vocantur, propterea rubro donari pileo, ut sciant, qui in illum ordinem alle-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0188-4 DFG

alleguntur, se pro libertate sedis Apostolicae, si opus sit, profundere vitam debere: ita Rectores in reipublicae, quae eorum fidei commendata est, curam incumbere, et providere, ne ea detrimentum capiat, ac quoties communis periclitatur causa, toties difficultatibus obiectis magno animo resistere, et pro dignitate Academiae nullam recusare dimicationem oportet.

Salve igitur, iterumque ac tertium salve, Magnifice Pro-Rector, tene felicibus auspiciis clavum reipublicae, quem cum intuemur, videmur nobis videre signum omnibus bonis ad bene sperandum sublatum, eaque re, quicquid est felicitatis, illud consiliis tuis optamus. Patres iuxta ac cives, id quod ex omnium vultu intelligis, congratulandi studio certant, honori, in cuius possessione collocatus es, amplissimo applaudunt, parsque fidem officiumque, pars obsequii religionem, sancte promittunt. Ipsi, credo, paterni cineres, quos hoc Sperlingianae gloriae domicilium grato erga tam praestantia merita animo in urna conservat, nulliusque obtrectatio lacessere debet, hodierno die, Sperlingianae genti perhonorifico, solenni commoverentur gaudio, si tantus sensus, quanta veneratio, ossibus mortuorum inesset, nisique nos rectius gratularemur Divi Patris manibus filium, raro quodam exemplo, tanto patre dignum, eidemque collocato in divinorum animorum concilio gratias tamen in terris ageremus, qui educavit filium, quem non doctorem publicum, sed ducem Musarum sumere Academia possit. Bene igitur, Magnifice Pro-Rector, Tibi! Bene nobis! Omnes omnino boni de Te bono sperant bene, ut par est, prorsusque confidunt, fore, ut, Te auctore, res nostrae augeantur, laetiusque indies efflorescant. Quae quidem nostra omnium spes ut exoptato quodam, Tibique gratissimo, comprobetur eventu, pro meo, quo Tibi, Magnifice Pro-Rector, coniungor, obsequio, et pro singulari erga commune bonum studio, Deum immortalem comprecabor.

XL.

GEORG. GVIL. KIRCHMAIERI, P.P.

Expositio rerum singularium, quae, superiori Academiae seculo, hic evenerunt.

FActuri operae pretium esse videmur, si singularia rerum nostrarum momenta, quae in superius Academiae seculum inciderunt, ac monumentis tabulisque a maioribus disperse atq; diffuse consignata sunt, hic altius ordine repetamus, et ab oblivione vindicemus. Ex quo apparebit, Academiam hanc, divinarum humanarumque literarum sedem, dedicatam Deo, eiusdem sui praesidis atque custodis numine, usque ad hoc tempus stetisse salvam, atque adeo ex fatorum difficultatibus, cum quibus vehementissime identidem conflictata est, feliciter emersisse. Enimvero nobis nunc contigit, ut secundum eius natalem, qui in fastis est XVIII. Octobris, ac D. Lucae sacer, A.R.S. cIↃIↃccII ceremoniis solennissimis laeti hilaresque celebraremus. Quod, cum a Deo discesseris, Regis ac EL. nostri, Friderici Augusti, benignitati, in hanc ingenuarum artium parentem propensissimae, debemus: neque idcirco possumus, quin collati, per unicum filium, Principem Regium, tanti memoriam beneficii religiose propagemus, iis praesertim posteris, qui, confecto seculi cuiusque curriculo, sacri huius solennia renovabunt. Sed ad rem venimus, atque primum commemoratu dignum iudicamus, ineunte altero Academiae seculo, Augustum, Christiani I, EL. filium, itemque Augusti illius, sanctissimi rerum nostrarum instauratoris et amplificatoris, nepotem, eundemque Saxoniae Ducem, munus Magnificentissimi Rectoris demisse coram delatum suscepisse, ac quatuor annos, cum semestri, personam hanc immortali laude sustinuisse: qui secularibus sacris ipse interfuit, eaque, insigni ad sempiternam literarum gloriam exemplo, praesens illustravit, et multis fraternae indulgentiae beneficiis cumulavit. Non iam reticendum foret, qua tum religione ceremoniaque primum Academiae

natalem coluerint, nisi ad singularem librum, sacras aeque ac profanas eiusdem argumenti orationes complectentem, qui *Acta Iubilaei* inscribitur, delegare sciendi cupidos, satius duceremus. Ex hoc sane cognosci potest, apparatu multiplici celebritatem hanc tanto illi praestare, quanto indulgentissimus Rex, Fridericus Augustus, maiores beneficentia, ea in re, longe multumque antecedit. Progredimur ad annum eius seculi decimum, et amplius, quo, praeter alias calamitates, pestilentia omnem prope Germaniam, Thuringiam potissimum et Misiniam, longe lateque vastavit, imo afflixit VVittebergae suburbium, nomine piscatorum insigne, urbi tamen ipsi satis pepercit. Quod summum ut a Deo proficiscitur beneficium, ita ipsius ne posteritas quidem omnium seculorum immemor erit, ac toties in mentem veniet recordari divinantis Martini Polichii, qui sapientiae ac bonarum artium officinam hoc loco tutam firmamque fore, animo praevidit, verissimeque apud EL. Fridericum Sapientem, contendit, quoties relatum leget, graviora ab hac et bellorum, et morborum pestiferorum, pericula, praesenti seculo, divinã providentiam averruncasse, certe, cum alibi incredibilis malorum vis existeret, hic mirifice debilitasse eam atque fregisse. Nihil tamen, si gravi iustaque poena vellet expiare scelera iratum Numen, in partibus suis EL. Io. Georgius, desiderari passus est, qui suasore Casparo Schonbergio, sanctiore immortalis nominis senatore, Academiae precibus tantum indulsit, ut exstruendi novum, idque amplissimum, aedificium, ad curandos ex pestilentia aegros, anno cIↃ IↃcXII, potestatem daret, ne scilicet locus commodior, extra urbem, iis deesset, quos veteres peranguſtae aedes, Luthero et Melanchthone auctoribus, ad eandem rem quondã comparatae, capere nequaquam potuissent. Quandoquidem vero illa sumtibus ferendis, quos in tantum opus fieri oportebat, minus par erat, honestissimos conatus adiuvit optimus Princeps, ac partim materiam suppeditavit, partim, rescripto quodam, ratum habuit patrum propositum, certos homines quoquoversus dimittendi, cum literis in hanc sententiam scriptis, ut, qui civibus nostris literatis faverent, ac saluti eorum, unde patriae cuiusque pender salus, consuli vellent ac provideri, ad tenuiores facultates aerarii academici, tantis non suffecturi expensis, sublevandas, pecuniam benigne liberaliterque conferre rogati ne gravarentur. Expectationem superavit eventus, ac institutum pietatis plenum ita animos inflammavit, ut, quantopere sibi probaretur, eiusque rationes impeditas expeditas vellent, eximiis donis principes non magis, quam civitates omnis generis, liberae praesertim, una cum aliis cuiuscunque conditionis et ordinis hominibus, prolixe declararent. Quemadmodum id operis postea inchoatum processerit, absolutumque fuerit, nihil attinet enarrare. Graviter potius dolere libet, tempore calamitosissimi illius belli, quo, per triginta circiter annos, Germania flagravit, ne, in obsidione urbis, hostibus inserviret, praecipiti quondam ac temerario fere consilio disiectum, ac vestigium ipsius vix relictum fuisse. Ceterum, sine impietatis nota, admirabile Dei munus in praesentia praeterire non possumus, quod Academiae nostrae, ac sigillatim sapientum Ordini, proprium perpetuumque est, quoque factum, ut, quamvis tum horribilis pestilentiae metus magnopere dissiparit eruditorum coetum, duo tamen et quadraginta a D. Georgio VVeckero, collegii sui praeside, sapientiae ac ingenuarum doctores artium fuerint festo ritu renunciati. Annus cIↃ IↃcXVII laetiora affert, ac emendatorum a Luthero sacrorum memoriam renovat, et summa religione ceremoniaque prosequitur. Nam EL. Io. Georgius, cum tempus adventaret, quo, centum ante annos, caste integreque colendi Dei disciplina fuit instaurata, pietate permotus edixit gravissime, ut, ad diem ultimum Octobris, omnes ditioni suae subiecti animos publicis precibus praepararent, eundemque, cum primo et secundo Novembris, quanta possent, sanctitate et celebritate obirent, ac grata memorique mente recogitarent, illo ipso die Lutherum, disputatione valvis templi arcis affixa, Pontificis Romani dogmata, nundinationes inprimis *indulgentiarum*, divinitus primum coepisse impugnare. Principis benignissimi voluntatem, programmate quodam, indigenis pariter atque exteris, exposuit Academia, causasque, cur Deo supplicationes is decerneret, iustissimas commemoravit. Paulo ante, quam seculare sacrum illucesceret, easdem laudati viri propositiones, in doctissimo-

ſimorum conſeſſu conſpectuque, publice, moderatore VVolffgango Franzio, Doctore et Profeſſore Theologo, Paul. Roeberus, et Ioſua Stegmannus, ſummorum candidati honorum, defenderunt.

Sequuntur, Rectore D. Daniele Sennerto, ſolennia ipſa die XXXI Octobris, quo, hora matutina quinta, in aedes, ſodalitati D. Auguſtini conſecratas, ubi divinus doctor in curas cogitationesq; expurgandae religionis asſidue incubuit, patres, itemque cives, frequentisſimi convenerunt, indeque, poſtquam aliquid temporis ſvaviſsimae muſicae datum eſt, pulcherrimo ordine, magnoque numero, quem in foro ſenatus oppidanus auxit, inter obviorum gratulationes, et ſymphonias, de turri ac aedibus paſsim dulciſsimum quiddam ſonantes, progreſsi omnes, in templum, propter arcem, venerunt. Peractis ſacris, regreſsi, coniunctisſimi ad Marianum contenderunt, nihilque fecerunt reliqui, quod ad declarandam pietatem pertinere videretur. Docentes pro concione, ac beneficia praepotentis Numinis, in ſe, per Lutherum, collata, immenſis cumulis etiam, usque ad id tempus, aucta, praedicantes, attente audiunt, ac, in libertatem Chriſtiano homine dignam vindicati, religioſisſimas perſolvunt gratias, vota ſimul, in futurum, ſuppliciter nuncupantes. Nihilo minori ceremonia tum primum, tum ſecundum Novembris, Principis ex praeſcripto, precandique formulis congruenter colere perrexerunt. Neque ſic quidem ſatisfeciſſe ſibi viſi, per poſteram quoque hebdomaden maximi gaudii ſignificationes dederunt, ingeniique ac induſtriae nervos, in confutandis adverſariis, contenderunt. Argumenti *de ſanctis, et eorum cultu*, corruptelas, gravi oratione, D. Frideric. Balduinus, in templo arcis, demonſtravit. Eodem loci poſtridie M. Paul. Roeberus, Ioſua Stegmannus, et Chriſtian. Gilbertus ſummam in theologia dignitatem adepti ſunt, impertiente, auctoritate publica, D. Balthaſare Meiſnero, qui, antequam inaugurarentur doctores, de *Pontificis R. theologia cauſidica, ſive iure canonico* dixit. Non multo poſt, ab Auguſto Buchnero, carmen ſeculare eſt recitatum. In concionem pari modo adſcendit D. VVolffgangus Franzius, atque de *admirando repurgatae a Luthero religionis negotio* verba fecit. Solennibus tandem finem bene feliciterque impoſuerunt D. Nicolaus Hunnius, et, intermiſſo diei ſpatio, Iacobus Martini, Profeſſores publici, quorum alter, in auditorio maiore, *ſigna veri falſique eccleſiae doctoris*, alter, adverſus Pontificios capita nonnulla logices, ac philoſophiae moralis, exquirendae veritatis cauſa, propoſuerunt.

Silentio etiam ne hoc quidem nobis videtur transeundum, cum cIↃ IↃc XXIX faſtigium novum turriculae domicili, Auguſtinianis quondam proprii, imponeretur, in aenea ſphaera, membranis pergamenis brevem aliquam rerum academicarum commemorationem conſignatam occurriſſe, unde ſingularia, quae ad hanc domum pertinent, propter creberrimam eius mentionem, arceſſemus. Aedificata eſt ſumtibus Friderici III, ſeptemviri, anno cIↃ IↃ II, in gratiam ſectae, D. Auguſtini praeceptis et inſtitutis addictae, quae eam, usque ad abrogationem rituum Pontificiorum, incoluit, ac, de iſtis ſuperſtitionibus, ſaniora edocta, ſponte, more modoque aliorum ordinum, dereliquit. Derelictam Lutherus poſſedit, ſibique a fratre, Ioanne, donatam liberis transmiſit, de quibus, munificentiſſimi Auguſti opera, florenis ter mille ſeptingentis cIↃ IↃ LXIV, ab Academia emta, ac, eiusdem beneficio, totidem, et amplius, inſtaurata, nomen a donante invenit.

Anno cIↃ IↃc XXX, academicum magiſtratum gerente Ambroſio Rhodio, diem XXV Iunii non minus feſtum habuit Academia, propterea quod optimus EL. Io. Georgius, Confeſsionis, Imperatori, Carolo V, Auguſtae Vindelicorum, centum abhinc annis, auſpicio ductuque Friderici III, traditae, eiusdemque integrae, memoriam auguſte ſancteque conſecrari iuſſit, eamque ob cauſam ferias imperavit civibus univerſis, quae tridui celebritate praecipua anniverſaria ſacra aequipararent. Seculare hoc gaudium ſcripto Latino hic, more conſvetudineque veteri, promulgatum eſt, ac fuſius oſtenſum, pietatis cuiusque plurimum intereſſe, ut accurate perpendatur, quantum famae, fortunarum, imo ipſius vitae, periculum pii maiores tum adierint, quamque demum, eo temporis articulo, firmum religionis purioris fundamentum iactum fuerit, quod, usque ad hanc diem, nullo modo potuit labefactari et convelli. Sermones ſacri, aliaeque orationes, tum feſto ritu habitae paſsim leguntur.

Conſequens annus cIↃ IↃc XXXI cele-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0191-4 DFG

brandus monumentis annalium, Saxonibus maxime, ac speciatim VVittebergae salutem attulit, quippe quo Gustavus Adolphus, Svecorum Rex, bello oppressis, atque de rebus summis fere desperantibus, tempore succurrit. Accidit autem, ut, cum transgressus albim copiis, mille passus ab urbe consedisset, ad videndum Regem magnus academiae concursus fieret, quod clementer accepit, et cives Lutheri filios appellavit. Pari modo doctoribus, qui sua tutelae eius commendatum venerant, non solum in audiendo admittendoque facilem se atque affabilem praebuit, sed etiam, intra tabernaculum, cum ipsis collocutus est, ac eos ita, inter alia, affatus: vobis, ac loco huic, *evangelii* lucem nos Sveci acceptam ferre debemus: eoque consilio huc profecti sumus, ut eam, quam hostis obscurare conatur, aut defendamus, aut accendamus. Praeterea iterum ac saepius vetuit, ne levissimo quidem maleficio et iniuria illorum praedia affici, ac violari a milite iter faciente.

Extitit contra cIↃ IↃC XXXII longe tristissimus. Praeterquam enim quod illis temporibus in Silesia, Bavariaque et Norico, omnia funestissimi belli impetu postrata fuerunt, Thuringiam quoque, Varisciam, Misniam, VVallensteinius diripuit et vexavit; quas clades portendere putabatur, cum inaudito fragore tonitruum, et flammis coruscantibus, coorta VVittebergae tempestas saevissima, urbi minitans ruinam. Incidit in mensem Novembrem Gustavi Adolphi luctuosa mors, cum ad Luzenam, pro Numinis gloria fortiter pugnans, caderet heroum facile princeps: cuius ulciscendae causa Gustavus, filius, studiis hic deditus, speciminisque loco patri victoriam, in agro Lipsiensi, partam, rite gratulatus, ac Rectoris munere fungens, ab regni proceribus, ad arma capessenda, deposita prius, in loco consilii academici, provincia, est avocatus. Acerbissimum vero spectaculum praebuit advectum, et, per VVittebergam, traductum funus Gustavi Adolphi. Cui appropinquanti, albim versus, academia, moerore fere confecta, obviam prodiit, ad urbem, iusta pompa, illud prosecutura. Occurrit in comitatu, qui Regi a concionibus sacris fuit, Fabricius, hancque, praeter opinionem, gravi, et tempori apprime convenienti, sermone excepit. Respondere, ex tempore, necesse habuit Rector, D. Io. Hulsemannus, atque ita dixit, ut expectationem audientium longissime superaret, talemque se praeberet oratorem, qualem eum, neque antea, neque postea, quisquam cognovit. Quo facto, funus procedit, campanis tristissimum quiddam sonantibus. Sequitur suo quisque ordine consternatus, et urbem, luctu perturbatam, intrat. Extremo, ad breve horarum spatium, oculis omnium exponitur in templo Mariano: quod adeo gemitibus ac lamentationibus, literatorum inprimis civium, complebatur, ut sol vix quicquam viderit magis miserandum. Quos tamen feretrum, mira frequentia, circumstantes, concionator ille, voce magni ponderis, ac divinae, ut aliquibus videbatur, sententiae, consolatus fuit. Hinc deductum, fluvioque secundo devectum, causam doloris iustissimam Germaniae reliquit.

Commutatione temporum subito facta, dum cIↃ IↃC XLII totis viribus in Saxoniam bellum incumbit, eamque, miserandum in modum, perpopulatur, ab academia, ac circumiectis huius pagis ipse hostis tum infestissimus, Svecus, memorabili exemplo, vim arcet omnem, ac, concesso diplomate, prohibet, quod, graves ob causas, conceptis verbis inserendum duximus:

Der Königlichen Majestät und Crohn Schweden/ wie auch Dero Confoederirten respective **Reichsraht/** General **und Feldmarschall in Deutschland/ auch** Gouverneur **in Pommern:**

Linnardt Torstenson/
uff Redsta/ Förstena und Rasig etc.

DEmnach/ im nahmen Höchstermeldter Ihr Königlichen Maiestät und Crohn Schweden/ von hochgedacht Seiner Excell. die Vniversität zu Wittenberg/ und Dero Professores, mit Ihren angehörigen Acht Dörffern/ als **Meltzwig/ Eutzsch/ Reuden/ Polnßdorff/ Pisteritz/ Cöpenig/ Dittrichsdorff und Teuchell/ Ingleichen das Abßdorffer Mühlichen/ und ein Güttlein zu Segrehn/** aus erheblichen gewissen Uhrsachen/ in Dero sonderbahren Schutz/ Schirm und Protection, auff- und angenommen worden/ massen solches Krafft dieses beschiehet.

Als befehlen hiermit S. Excell. allen unter Dero Commando sich befindenden Hohen und Nie-

Niedrigen Officirern und Befehlichshabern/ wie auch sämbtlichen Soldaten zu Roß und Fuß/ daß Sie obbemelte Vniversität zu Wittenberg/ Dero Professores, und Ihre angehörige Acht Dörffer/ so oben specificirt/ mit Ihren pertinentien, hinführo ruhig/ unperturbiret/ und ungekräncket sein und bleiben lassen/ und hinwieder/ unter was Schein es geschehen möchte/ im geringsten nicht presiren/ betrüben noch beleidigen/ viel weniger ohn Ihr Excellenz Befehl mit Einquartir- oder Einlogirung/ selbst anmassender Contribution/ Brandtschatzung/ oder andere Exaction/ Brandt/ Plünderung/ Abnahm Pferde/ Groß- und kleinen Viehes/ Getreide/ noch andern insolentien, und Gewaltthätigkeiten/ infestiren und beschweren/ oder diese Salva Guardi und Schutzbrieff/ in einigerley weise/ violiren/ Sondern Selbige/ oder deren vidimirte Copey/ in allwege/ bey vermeidung schwerer Verantwortung und Ungelegenheit/ auch nach befindung des Verbrechens/ unaußbleiblicher Leibes und Lebensstraffe/ gebührlich respectiren/ und in beharrlicher obacht unverbrüchlich halten wollen/ und sollen. Wornach sich ein jeder zurichten/ und vor Schaden zuhüten wissen wird. Signatum im Haubtquartier bey Leipzig/ den 22. Decembr. Anno 1642.

L. S. Linnardt Torstenson.

Grata rerum vicissitudine ad fortunatiora redimus, notamusque strictim, quod potissimum literis mandandum duxit D. Gothofredus Svevus, integro semestri, quo is coetui literato praefuit, neminem prorsus exequias iviſſe, aut civitatem ex suis desideraſſe quemquam.

Omnium vero exoptatissimus dies XIII Iulii, cIↃ IↃc L, illuxit, quo supplicationes, summi magistratus nutu, indictae sunt, pro pace Germaniae, Osnabrugae ac Monasterii diu multumque disceptata, aegerrime tandem constituta, Norimbergaeque confirmata. Quantis gaudii solennissimi gratulationibus personuerit Academia, iis intellectu facile est, qui incredibilem belli, ad internecionem gesti, diuturnitatem, perinde ac salvum rerum nostrarum statum, in ipsis finitimarum ruinis, reputabunt. Publicis literis pridie invitati cives hora sexta antemeridiana, in domicilio D. Augusti, comparuerunt, cantibusque finitis, patres et senatum, se his ipsis in foro iungentem, ad templum arcis comitati sunt, officiisque, auctori pacis, Deo, praestitis, in Marianam, sine pietatis intermissione, confluxerunt, ac reliquum festi diei in exercitationibus laude dignis transegerunt.

Interposito biennio, beneficentiae illustrius exemplum in fastos relatum, quo omnem posteritatem sibi sanctissimus Princeps devinxit. Nam, praeter immunitates, magnificasque donationes, quibus aerarii academici reditus, separatis temporibus, locupletavit, memoria dignissimum est munus quinque et decem mille *imperialium*, si quando praedium quoddam beneficiarium possessore legitimo vacaret. Cuius sane benignitatis fructus etiamnum percipiuntur.

Nec tacenda memorabilis eluvio, quae, cIↃ IↃc LIV, post hominum memoriam maxima hic accidit, tantamque vim habuit, ut, albis fluvius, liquefactis nivibus, ac, pluviis diuturnis, accrescens, et glaciem, prope pagum, Gribam, ad dimidium milliare, accumulans, perruptis aggeribus, latissime se, pleno alveo, diffuderit, ac, Lipsiam versus, proficiscentes, navigiis uti coegerit, usque Kembergam, oppidum uno lapide distans, quin in vico *Eutsch*, cum gravi incolarum detrimento, collectis, maiorem in modum, undis, per mensis spatium, fluvium aliquem genuisse, ripisque certis coercuisse eo loco videretur.

Nova religione annus cIↃ IↃc LV, ac nominatim XXV Septembris, animos complevit. Seculum enim intercessit, quo, victricium armorum ope, cum Ferdinando, ea praesertim lege, Passavii foedus initum, ut communi cum pontificiis tranquillitate sacris emendatis addicti fruerentur, ac nulla ratione in posterum violarentur, idque, Augustanis deinde comitiis, exquisitissimis fidei humanae formulis, animos religiose devincientibus, est stabilitum. Huius celebrandi secularis temporis necessitatem, iure meritoque imposuit Io. Georgius I, easdemque ceremonias, quas laetissimi cuiusque diei celebritas poscit, adhiberi ubique iussit, et precationes ideo praescripsit. Paruerunt patres, et, ubi suis, in tabulis publicis, indicatum, animique, signo, omni aere campano, dato, tum rite ad instans sacrum excitati atque convocati sunt, altero post in domo D. Augusti, hora ante meridiem sexta, praesto fue-

sto fuerunt, ac, carminibus nonnullis cantatis, cum reliquo literatorum ordine frequentissimo coniuncti, in publicum processerunt. Incedentibus, per medium forum, senatores, adventum in curia, quae tubis tympanisque personabat, praestolati, se consociarunt, ad templum arcis pergentes. Re divina ibi confecta, ad aedem Marianam, eadem pompa, tendunt, eamque, repetitis, dum per forum transitus fit, proximae superioris laetitiae significationibus, ingressi, oraculorum interpretem, D. Abrah. Calovium, studiose diligenterque attendunt, qui non secus, ac paulo ante D. Io. Scharffius Ps. CXXV idonea explanandi ratione, ad praesens negotium accommodabat. Dimissus coetus rediit, post meridiem, universus ad concionem D. Andreae Kunadi, cui dicendi argumentum Es. XLIX a commate VII usque ad XIII, suppeditabat, sacra denique, fidibus, tibiis, tympanis et tubis, aures permulcentibus, casta integraque mente, peregit.

Annus cIↃ IↃc LXI, Rectore D. Caspari Zieglero, occupatissimam tenuit Academiam in delendo funditus horrendo monstro *Pennalismi*, qui maximam Germaniae partem tantopere afflixerat, ut non, nisi concordibus ordinum Imperii consiliis, tolli posse videretur. Quamobrem, in comitiis Ratisponensibus, acrioribus remediis, id malum exstirpandum esse, communi suffragio censuerunt. EL. Io. Georgius II cumprimis negotium hoc diligenter curavit, ac, propositis gravissimis poenis, inveterata licentia ista, omnemque barbariem complexa, penitus suis interdixit. Solebant nempe in academiis plerisque societates constituere, nationum vocabulo distinctas, ac singulis praeficere homines seniorum praeditos auctoritate, iisdemque adiungere veluti consiliarios certos, ex quorum nutu reliqui, habita gentis cuiusque ratione, pendere cogebantur. Hi primum advenientes, studiorum causa, praemium non modicum, pro referendo in tabulas suas nomine, ferocius poscebant, sibique subiectis aliam super aliam, pro libidine effrenata, summam imperabant, sordidissima servitia, perinde ut mancipiis, describebant, dicto minus audientes pecunia, verberibus, eiectione, indicem vero mysterii cuiusdam infamia, multabant. Vestitus iuvenum conscissus, obsoletus et levissimus; incessus ingenuo homine plane indignus: ipsi evaserant, pessima vitiorum detestabilium consuetudine, profligatissimi perditissimique. Idcirco ferre patienter noluerunt Principis severitatem, qui magistratus academici eversam prope disciplinam graviter vindicare volebat, et, cum edicto pariter ac programmate, sanciretur, ut cives omnes, delectu et discrimine remoto, uno eodemque, quoad per cuiusque facultates fieri posset, vestitu uterentur, intra biduum aliquot centuriae novellorum abierunt in finitima oppidula, sed, cognito, in sententia perseverari, reversi mox, legi parere inviti coeperunt.

Pacatis domi forisque rebus, ornamenta pacis, ob bellorum calamitates, neglecta iusto diutius cIↃ IↃc LXV sunt revocata. Hac mente Carolus, Liber Baro a Frisen, consiliarius sanctior, et senatus ecclesiastici praeses, D. Martinus Geierus, a summis concionibus sacris, Burchardus Berlichius, IC. a consiliis aulicis, et Godofr. Behringerus, eiusdem curiae ecclesiasticae assessor, cum mandatis, ut, eodem modo, ac cIↃ IↃc XIV, et XXIII, factum, Academiam viserent, et rationes eius exploratas ac perspectas, ad Principem deferrent, VVittebergam venerunt. Decem dies ibi morati statum quodammodo perturbatum in ordinem redegerunt, praetermittentes nihil, quod ad doctores ornandos, et tuendas divinas humanasque doctrinas, valebat. Secutum est anno huius seculi sexagesimo octavo accuratum decretum, quod pro regula haberi, in plerisque momentis, adhuc consuevit. Adiungimus hic merito, Electorem tum, singulari amore in studia sapientiae ac humanitatis adductum, Collegii praecipue Philosophorum instituta et lege, subscriptione confirmasse.

Magna adeo Dei merita in sapientiae ac bonarum artium officinam, ab ultima huius seculi memoria, extant, sed haud temere subdubitamus, an maiora unquam iis concurrerint, quae anno cIↃ IↃc LXXVII cumulavit. Non solum enim illam a detrimento, quod Argentoratensi, Heidelbergensi, Kilonensi, et aliis, bellum Germaniae perniciosum, aut incendium, ut Rostochiensi, attulit, sartam tectam conservavit, sed honorificentissimo quoque conspectu perclementis Principis, Io. Georgii II, est dignatus.

Atque

Atque is vigesimo quarto Augusti, comitatu procerum nonnullorum, urbem laetitia exultantem, intravit, gravissimam quandam controversiam, praesentia sua, quam maturrime transacturus. Advenientem D. VVernerus Theodor. Martini, IC. summam regiminis academici tenens, una cum doctoribus reliquis, osculo manus demississime excipit. Secundo die, aditum petentibus, Georgio Greenio, et Balthasari Stolbergio, Professoribus publicis, qui communem pietatem, gaudii plenam, testarentur gratulatione, benigne dedit, nec librum, veteri consuetudine, muneri oblatum, sprevit, ipsosque delegatos, cum summa gratiae testificatione, adhibuit mensae. Tertio, precationis negotio in templo arcis religiose obito, Academiae conditionis cognoscendae cupidus Rectorem ad se, remotis omnibus, arcessi iubet. Principem deinde, ornamenti pariter atque emolumenti sui studiosissimum, ad amplioris fortunae spem erecti patres, uno eodemque interprete, quam possunt, subiectissime rogant, ut bibliothecam aeq;, ac D. Augusti aedem, perquam honorifico ingressu, sempiternae posterorum memoriae causa, illustraret, atque ad prandium aliquod, pro conditione aerarii, parandum, omni pietatis, ac demissi cultus contentione, invitari se, laudabili facilitatis argumento, pateretur. His vultu hilari, et ad incredibilem clementiam composito, veniam dedit, crastinaque luce se affuturum, benigno vultu recepit. Id quod ex sententia evenit. Nam, repetito obsecrationis officio, una cum Carolo VVilhelmo, Duce Anhaltino, qui, statim ut salutatum huc Servesta accesserat, itidem rogabatur, simul copiam sui faceret, per urbem, qua in longitudinem patet, vecto Elector, magna pompa comitantiũ purpuratorum, ac praeeuntium, cum insignibus usitatis, quorundam de Professoribus, in domum, D. Augusti nomen praeferentem, venit. Primo aditu vestibuloque Rector, pallio purpureo amictus, pariter cum frequenti senatu exspectat, atque ingredientem ceremoniis debitis veneratur, et in bibliothecam introducit. Lutheri deinceps museum placuit adire. Pergenti, per atrium, ad Collegium, ab utraque parte, trecenti convictores beneficiarii apparuerunt, iidemque mox, in loco publico, ubi cibus communiter capitur, praesenti nutricio suo, cum oratione, tum carmine Germanico, animi religionem approbarunt. Ventum tandem est in conclave, solennibus prandiis doctorum aeque ac magistrorum dedicatum, mensa iam instructa. Prius vero, quam assideretur, effigies maiorum suorum, iusta statura egregie a pictore expressas, ac ordine collocatas, perlustravit, suamque ipsius adiici imperavit. Nunc demum, inter divorum imagines, cum convivis splendidissimis prandetur, quatuor ex patribus in societatem lectis. Ceteri non minus, quam proceres reliqui, separatim, per duos mensas dispertiti, epulabantur. Musices periti interea exquisitissimis, iisque alternis, sonorum concentibus certant. Ceterum difficile est ad eloquendum, quam hilarem se ac perindulgentem adversus omnes gesserit, qui partim, ipso licet recusante, cibos apponebant, partim aut Principibus, aut purpuratis, cum voto sanitatis, pocula propinabant. Cuncti vero, alii post alios, Electori ad manus erant, eiusque nutus attentissime observabant. Sic dies maximam partem in submississimis officiis, ac omni obsequii genere, incredibili bonorum applausu, consumtus est. Cum advesperasceret, gratiis actis, datisque inauditae benignitatis significationibus, se in arcem recepit. Postea Rectori, qui maximis horum beneficiorum vinculis Academiam, eiusque posteros obstrictos, memoriamque vestigiorum tantae humanitatis, quae in Musarum sedibus nunc impressa veluti cernuntur, non nisi cum ipsarum fundamentis, deletum iri, ostendebat, clementissime respondit, ac, ut gratum memoremque animum cognoscerent, se aerarium accessione duorum et decem mille *florenorum*, de censibus suis provincialibus attribuendorum, augere velle, et, ad reficiendam aedem illam, a se visam, sicubi vitium fecerit, quadringentos *imperiales* muneri mittere, large pariter ac vere, ut eventus comprobavit, exire iussis, qui aderant, promisit. Tum septem tabularum volumina, iussu allata, quibus iuvenum studiosorum nomina, iam inde a condita Academia, erant inscripta, cupide sua manu pervolutavit, inito numero septuaginta mille illorum mirifice delectatus, ac tempus, quo Lutherus et Melanchthon, studiis obsequendi suis gratia, primum huc se contulerint, diligenter inquisivit notavitque, deinde apud D. Abrahamum Calovium pransurus. Die septimo

post, quam advenerat, Patrem patriae, laudibus summis ad coelum extollendum, e complexu suo et sinu, non aliter atque acceperunt, dimittere coacti sunt, votis, precibusque discedentem prosecuti.

Reconciliata animorum concordia, ac rebus satis firmatis, et ad laetiorem statum compositis, melius Academia habere coepit, et ornamentis suis studere. Hoc consilio cIↃ IↃc LXXXIV curam cogitationemque, Rectoris persona dignissimam, D. Io. Frid. Mayerus suscepit, ut auditorium maius, constitutum antiquitus, idque a Friderico III congressibus colloquiisque doctorum, praesertim exercitationibus eruditis, destinatum, renovaretur. Factum adeo est ex obsoleto, propter vetustatem, elegantissimum ornatissimumque.

Annuum spatium intercessit, quo D. Io. Thilo itidem, impensis maxime suis, et hortum, qui incultus diu desertusque iacebat, et locum, dissecandis mortuorum corporibus consecratum, satis ruinosum, et obscurum, medicorum causa, restituit, atque hunc inprimis spectatoribus aptum, accommodatumque, auditorium denique visu haud indignum fecit.

Nihilominore studio illud, Iureconsultorum frequentia ac consvetudine celebratum, cIↃ IↃc XCI a D. Caspare Henr. Hornio, id temporis Rectore, interpolatum est, atque insignius ornatum.

Neque vero non postero anno, Georg. Caspar Kirchmaierus, Professor publicus, qui magistratus auctoritate tum valebat, idem curae sibi habuit, nullique operae pepercit, ut auditorio, quod minoris nomine a ceteris distingvitur, cum in id nimia vetustas vim valde exercuerit, splendor, suo quidem auspicio, adferretur, studiisque sapientiae, ac bonarum artium, publicis iustus et debitus haberetur honos, ac elegantioris cuiusdam, quam veterum philosophorum, gymnasii species conciliaretur.

Hunc excepit cIↃ IↃc XCIII, quo VVitteberga in partem summi gaudii vocata est a Svecorum Rege, Carolo XI, qui primus, praeterito seculo, sacrorum ex Saxonia in septentrionem propagatorum, et, quod caput divini consilii erat, Vpsaliensis concilii decreto, sanctioneque comprobatorum, memoriam magnificentissime apparatissimeque a suis celebrari, iussit. Quantum vero huic sincerae ac integrae religionis parenti deberet, nummo aureo magni ponderis demonstrare voluit, quo Academiam donavit, ita cuso, ut, altera parte, navis satis cum periculo fluctuans, iuxta ac Numen protegens, conspiceretur, adiectis verbis: *iactatur, sed tuta tamen*: altera, hoc epigramma legeretur: *in felicem memoriam concilii Vpsaliensis, cuius decretum, centesimo abhinc anno, persecutioni Liturgicae finem attulit. M DC XCIII.* Communis officium pietatis Principi, sacrorum necessitudine coniunctissimo, praestitit, auctoritate publica, et benignitatem huius, aeque ac emendatioris Dei cultus incredibilem curam, oratione solenni, D. Io. Georg. Neumannus praedicavit. Quamobrem cum autorem amplissimo affecit praemio, tum Academiam literis gratia refertissimis cohonestavit.

Biennio interiecto, cum eruditam civitatem administraret Christianus Roehrenseus, res confecta est illustri monumento digna, ac merito in potioribus momentis ponenda. Quippe, hoc ipso tempore, concordibus patrum suffragiis decretum, ut doctorum, academico perfunctorum munere, viduis non magis quam liberis, siquidem nondum in tutelam suam pervenerint, privatum aerarium constitueretur, iisque adeo de usuris, pro facultate ipsius, quotannis prospiceretur. Instituto laudabili, consensu suo, is pondus attulit, penes quem summa potestas est, et ratam firmamque habuit redituum dispensationem, quibus constaret. Quo vero testatior memoria extaret, forma totius operis est typis mandata. Nec dubitamus, quin posteritas uberrimos eius fructus captura sit, si coelestis providentia muneri faveat, ac perpetuitatem addat.

Nunc quoque accidit, ut correcta Academiae instituta et leges, de argumento cernendae hereditatis, a Principe confirmarentur. Vsus scilicet docuerat, consvetudinem literis proditam, eamque per manus traditam a maioribus, propter obscuritatem, innumeras parere difficultates, et contentiones, ac, vel ipsi iudici, de iure respondenti, multum negotii facessere, et ancipitem cogitationem adferre. De his medendis cIↃ IↃc XCIV, frequenti senatu deliberatum fuit, idque compositum, cuius regula controversiae, ac quaevis dubitandi rationes, nullo negotio, iam diiudicantur.

Annum cIↃ IↃc ccI in commentariis nostris praetermittere silentio prohibet divina liberalitas Hermanni VVolfframsdorffii, anti-

antiquitate generis, gloria maiorum, et munerum amplitudine, cum viveret, viri perillustris. Is singulari religione tactus, alendis honeste duodecim convictoribus, literarum studiosis, XII millia nongentos sexaginta *imperiales* consecravit in perpetuum, eiusque sanctioris negotii curam Academiae demandavit, his potissimum legibus, ut beneficiarii, hospite Professore uterentur: pie religioseque ac diligenter officio suo satisfacerent: novem ex istis theologiae, reliqui iuris disciplinae operam navarent: unus quotannis, die vigesimo octavo Iulii, orationem rite haberet.

Eodem tempore appropinquantis sacri secularis solennia sunt magno conatu studioque apparata. Academia vota fecit, Deum precata, ut bonum, faustum, felicem, fortunatumque secundum suum natalem sineret illucere. Speciatim aedes D. Augusti, quas saepissime supra nominavimus, curatore nominatim D. Caspare Hornio, adornabantur, iisque aliqua novitatis gratia conciliabatur, qua regionem urbis spectat, ac magnum conclave coenaculumque continet, ut in eo epulum, regali sumtu, daretur, cum hospitibus, tum maxime doctoribus, mox creandis, quorum, sigillatim philosophiae, ac bonarum artium, si numerus, per centum abhinc annos, iniretur, viri iuvenesque, supra quinque millia, in promtu forent, qui, a sapientum Ordine in lucem producti ornatique, laetitiae publicae eo loco liberalius indulgendi copiam fecerunt. Sed, paucioribus his rerum singularium momentis contenti, quoniam reconditiora excutere non licet, statuimus hic scribendi finem, finito seculo, novumque exorsi Deum suppliciter oramus, atque obsecramus, ut in posterum divinarum humanarumque scientiarum domicilio, ac purioris doctrinae sedi, omnia bene feliciterque iubeat evenire.

XLI.

Ordo et series Rectorum Academ. VVitteberg.

Illustriss. Dn. D. Augustus, Dux Saxoniae, postulatus Episcopus Naumburgensis et Zicensis, Landgrav. Thuring. March. Misniae etc. Christiani I. Filius, Christiani II. Elect. et Io. Georgii I. frater, per integrum quinquennium.

Ernestus Hettenbach, Phil. et Med. D. et Prof. Publ.

Georgius VVeckerus, Phil. et Med. D. et Phys. Prof. P.

David Rungius, S. Th. D. et Prof. Publ.

Lucas Beckmann, Hamburgens. I. V. D. et P. P.

Adam Theodorus Siberus, Eloquent. P. P.

Leonhardus Hutterus, Vlmens. Th. D. et P. P.

Io. Zanger, I. C. Senior, et Decret. P. P.

Daniel Sennertus, Vratislav. Phil. et Med. D. et P. P.

Melchior Ioestelius, Dresdens. Phil. et Med. D. et Mathem. P. P.

VVolfgangus Frantzius, Plavens. Th. D. et P. P.

Bartholom. Reusnerus, Vratislav. I. V. D. et Pandect. P. P.

Tobias Tandler, Torg. Phil. et Med. D. et P. P.

Fridericus Taubmannus, Poeta, et humanit. Prof.

Io. Foersterus, Auribach. S. Th. D. et P. P.

M. Erasmus Schmid, Delitianus, Graecus P. et Alumn. El. Inspector.

VVolfgangus Hirschbach, Gothanus I. V. D. et Codicis P. P.

M. Iacobus Martini, Halberstad. Logicus Prof. P.

Erasmus Unruhe / Torgens. I. V. D. et Pandect. P. P.

Io. VVanckel, Histor. P. P.

Balthasar Meisnerus, Dresd. S. Th. D. et P. P.

Valent. Gvilielmus Foersterus, I. V. D. et P. P.

Dn. Emricus Thurzo, de Bettlenffalvva, Comes perpetuus et Hered. in Arva etc. Palatini Filius.

Ambrosius Rhodius, Kemberg. Phil. et Med. D. et Mathem. super. P. P.

August. Buchnerus, Dresd. Hum. Lit. P. P.

VVolfgang Schaller, Freiberg. Phil. et Med. D. et P. P.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0197-8 DFG

M. Reinholdus Franckenberger, Viteberg. Histor. P. P.

Gregorius Nymman. Phil. et Med. D. et P. P.

Io. Avenarius, I. V. Lic. et Eloqu. P. P.

Nicolaus Hunnius, Marpurgens. S. Th. D. et P. P.

Ieremias Reusnerus, Leorin. Silef. I. V. D. et P. P.

M. Laurent. Fabricius, Dantis. Ebr. Ling. P. P. et Senior.

Conradus Carpzovius, I. V. D. et P. P.

Gottfried Reuter, Bitterfeld. I. V. D. et P. P.

Henningus Groff, I. V. D. et Prof. P.

Dn. Gustavus, Gustavi Magni, Svecorum, Gothorum, et Vandalorum Regis etc. Filius.

Io. Hulsemannus, S. Th. D. et P. P.

Io. Georg. Pelshofer, Graecens. Styrus, Med. D. et P. P.

Io. Scharffius, Croppenstad. S. Th. Lic. Log. et Metaph. P. P.

VVilhelmus Lyserus, S. Th. D. P. P. Alumn. El. Inspector.

VVilhelm. Nigrinus, Cada-Bohemus Moral. P. P.

Io. Strauchius, I. V. D. Decret. Prof. Ordinar. et Consiliarius El.

Marcus Banzerus, Augustano-Vindelic. Med. D. P. P. et Senior.

Io. Sperling, Laucha Thuring. Phys. P. P.

Christ. Taubmannus, I. V. D. et P. P.

Conrad. Victor Schneider, Phil. et Med. D. et P. P.

Christophorus Nothnagel, Francus, Mathem. sup. P. P.

Augustinus Strauch, I. V. D. P. P. Consist. Eccl. Assessor.

Io. Ericus Ostermannus, Graec. liter. P. P.

Christoph. VVacke, Naumburg. I. V. D. P. P.

Nicolaus Pompeius, Lusat. Mathem. infer. P. P.

Gottfried Svevus, Leor. Silef. I. V. D. et P. P.

Andreas Sennertus, Viteberg. Orient. L. L. P. P.

Mich. VVendelerus, S. Th. Lic. et P. P.

Michael. Sennertus, Med. D. et P. P.

Christianus Trentschius, Hayna-Misn. Log. et Metaph. P. P.

Io. Meisnerus, Torg. S. Th. D. et P. P.

Andreas Kunadus, S. Th. D. P. P. Consist. Eccles. Assessor.

Henricus Coselius, Pragens. Bohem. I. V. D. Pand. P. P.

Samuel Ritter, Hala-Saxo, I. V. D. Digest. P. P. Cur. El. Assess.

Caspar Zieglerus, Lipsiensis I. V. D. et Codic. *P. P.*

Io. Andreas Qvenstedius, Qvedlinb. S. Th. D. *P. P.*

Christian. Klengelius, I. V. D. Codic. *P. P.*

Christian. Augustus L. B. a Frisen.

Io. Deutschmann, S. Th. D. *P. P.*

VVilh. Leiserus, I. V. D. et Cod. *P. P.*

Ioachimus Nergerus, Gryphimonte Silef. *P. P.*

Christian. Trentschius, Logic. et Metaph. *P. P.*

VVernerus Theodorus Martini, Soltquella Marchicus I. V. D. *P. P.* Pand.

Constantinus Ziegra, Dobela Misnicus, S. Th. D. et Phys. *P. P.*

Mich. Fridericus Ledererus, Viteberg. Saxo, I. V. D. *P. P.*

Io. Strauch, Phil. et Med. D. *P. P.*

Georgius Caspar Kirchmaierus, Vffenhemio Francus, P. P. Orator.

Mich. Strauchius, Infer. Mathem. P. P.

Mich. VValtherus, Aurica-Frisius, Mathem. super. P. P. Ephorus Alumn.

Balthasar Stolbergius, Mitvveida-Misnicus, Graec. Lit. P. P.

Godofred. Strauss, Phil. et I. V. D. P. P. Consil. EL.

Christianus Roehrensee, Ehrenberga-Misnicus, Phil. Pract. P. P. et Ephorus Alumn.

Conrad. Samuel Schurzfleischius, Historiar. P. P.

Christianus Donati, Logices et Metaphys. Prof. P.

Io. Frid. Meyerus, Lipsiensis, S. Th. D. et P. P. Ephorus Alumnor. et Templi OO. Sanctorum Praepositus Substitutus.

Io. Thile, Med. D. P. P. Archiater Anhalt.

Theodorus Dassovius, Hamburg. Poeseos P. P.

Georg. Michael. Heberus, I. V. D. P. P.

Io. Henricus Bergerus, I. V. D. P. P. Curiae EL. et Scabinatus Ass.

Io. Gothofred. Bergerus, Med. Doct. et P. P.

Caspar Henricus Hornius, I. V. D. P. P.

Goer-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0198-4 DFG

Georgius Francus, Naumburgensis Misnicus, Med. et Phil. D. aliquot. S. R. I. Electorum et Principp. Consiliarius atque Archiater.

Philipp. Ludovic. Hannekenius, S. Th. D. et P. P.

Christianus Vaterus, Phil. et Med. D. P. P.

Io. Georg. Neumannus, S. Th. D. et P. P. Ephorus Alumn.

Godofred. Sperling, Med. D. P. P.

Io. Baptista Roeschelius, Sempronio Hungarus, S. Th. D. Phys. P. P.

Io. Christoph. VVichmannshausius, OO. LL. P. P.

XLII.

Ordo et series Professorum Ordinar.

IN COLLEGIO THEOLOGICO.

D. Aegid. Hunnius.
D. Salom. Gesnerus.
D. David Rungius.
D. Leonh. Hutterus.
D. Georg. Mylius.
D. Frid. Balduinus.
D. VVolfg. Francius.
D. Io. Foerster.
D. Balth. Meisner.
D. Nic. Hunnius.
D. Iac. Martini.
D. Paulus Roeberus.
D. VVilh. Lyserus.
D. Io. Hulsemannus.
D. Io. Scharffius.
D. Io. Meisnerus.
D. Abr. Calovius.
D. Andr. Kunadus.
D. Io. Andr. Quensted.
D. Io. Deutschmann.
D. Io. Frid. Meyer.
D. Casp. Loescher.
D. Mich. VValther.
D. Phil. Lud. Hannekenius.
D. Io. Georg. Neumannus.

IN COLLEGIO IVRIDICO.

D. Io. Zanger.
D. Ludovicus Person.
D. Bartholom. Reusner.
D. Thomas Franzius.
D. Luc. Beckmann.
D. VVolfgangus Hirschbachius.
D. Erasmus Vnruhe.
D. Valentinus Guilelmus Foersterus.
D. Ieremias Reusnerus.
D. Conrad. Carpzovius.
D. Godofredus Reuter.
D. Henning. Gross.
D. Christianus Taubmannus.
L. Cornelius Crull.
D. Frider. Proforius.
D. Augustinus Strauchius.
D. Christoph. VVacke.
D. Godofr. Svevus.
D. Heinricus Coselius.
L. Samuel Ritter.
D. Casp. Zieglerus.
D. Christian Clengel.
D. VVilhelmus Leiserus.
D. Ioachim. Nerger.
D. VVerner Theodorus Martini.
D. Michael Frider. Ledererus.
D. Godofr. Strauss.
D. Georg. Mich. Heber.
D. Io. Henricus Berger.
D. Casp. Henricus Hornius.
D. Samuel Stryck.
D. Godofr. Svevus.
D. Io. Balth. VVernher.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0199-3 DFG

IN COLLEGIO MEDICO.

D. Andreas Schato.
D. Ernestus Hettenbachius.
D. Daniel Sennertus.
D. Iacobus Cocus.
D. Tobias Tandlerus.
D. VVolfgangus Schallerus.
D. Gregorius Nymmannus.
D. Io. Georgius Pelshoferus.
D. Antonius Kroes.
D. Marcus Banzerus.
D. Io. Ehringius.
D. Conradus Victor Schneiderus.
D. Ieremias Bertramus.
D. Michael Sennertus.
D. Io. Strauchius.
D. Ieremias Lossius.
D. Io. Thile.
D. Georgius Francus a Frankenau.
D. Io. Godofredus Bergerus.
D. Christianus Vaterus.
D. Paul. Godofredus Sperlingius.

IN COLLEGIO LITERARVM ET SAPIENTIAE STVDIA PROFITENTIVM.

Io. Hagius.
Laurentius Rhodomannus.
Fridericus Taubmannus.
Erasmus Schmidius.
Adam. Theodorus Siberus.
Laurentius Fabricius.
D. Georg. VVeckerus.
Martinus Helvvigius.
D. Iacobus Martini.
D. Tobias Tandlerus.
Ioannes VVanckelius.
Henr. Velstenius.
D. Matthias Anomaeus.
D. Balthasar Meisnerus.
D. Ambrosius Rhodius.
Io. Rhodenburgius.
Ieremias Spigelius.
Augustus Buchnerus.
Reinholdus Franckenbergerus.
L. Ioannes Avenarius.
Abraham. Heinneccius.
L. Ioannes Mullerus.
L. Fridericus Kornmannus.
Iohannes Scharffius.
VVilhelmus Nigrinus.
Martin. Trostius.
Ioannes Sperlingius.
Christophorus Nottnagelius.
D. Iacob. VVellerus.
Io. Ericus Ostermannus.
Nicolaus Pompeius.
Michael Schneiderus.
Andreas Sennertus.
Michael VVendlerus.
Christian. Trentschius.
D. Constantinus Ziegra.
D. Aegidius Strauchius.
Georg. Casp. Kirchmaierus.
Otto Praetorius.
Michael Strauchius.
Michael VValtherus.
Georg. Greenius.
Balthasar Stolbergius.
Sam. Benedictus Carpzovius.
Christianus Roehrenseus.
Conrad. Sam. Schurzfleischius.
Christian. Donati.
Theodorus Dassovius.
Martinus Knorrius.
Io. Georg. Neumannus.
D. Io. Baptista Roeschelius.
Io. Christoph. VVichmanshausius.
Georg. Frider. Schroeerus.
Io. Balthasar VVernherus.
Io. Guil. Bergerus.
Georg. Guil. Kirchmaierus.
Henr. Leonard. Schurzfleischius.
Io. Andr. Planerus.

(o)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0200-0 DFG

Menda potiora

Pag. 1, lin. 19, *legatur*, ſolennes. ib. col. 2, l. 6, Jahr-H. l. 17, *a f.* Jhro. p. 2, l. 20, Principi. c. 2, l. 15, placidiret. p. 7, l. ult. Praeter eſſ. p. 8, l. 5, *a f.* poſt eos. c. 2, l. 8, anſehnlichen. p. 10, l. 14, palaeſtrae. c. 2, l. 12, Trompeten. p. 13, l. 15, ſclopeta. p. 14, l. 7, deſcriptus. p. 15, l. 18, Theologi, cum. p. 16, c. 2, l. 12, Abgeſandten Excell. p. 17, c. 2, l. 9, admonebantur. l. 23, omni cura. *et mox*, Germaniae. p. 18, l. 3, *a f.* varia genera. p. 19, l. 12, in maius. l. 3, *a f.* Epicureis. p. 20, *med.* quis non videt? l. 5, *a f.* terminum. l. 2, *a f.* quia. c. 2, l. 17, vol. divinae. l. 18, *a f.* alias val. p. 21, l. 6. illorum, qui, licet. l. 16, Iudaico. l. 25, Dorotheo, Pr. l. 4, *a f.* Democritus. c. 2, l. 1, Tyanaeus. l. 6, Panathenaicum. l. 23, mul. centum et trig. l. 25, triginta ſept. ac, ne. l. 33, ſeptenum. *et*, quadragenum. l. 37, perhibet. p. 22, l. 21, *a f.* Cornarus. c. 2, l. 3, corporis. p. 23, l. 1, excitatos. l. 24, *a f.* aeternam. l. 6, *a f.* diſceſſ. c. 2, l. 4, Tui. l. 19, *a f.* committere. p. 26, v. 9, *a f.* Dieſe W. v. ſq. aufgef. c. 2, *med.* beweget. p. 27, *fin.* Nun jauchze. v. ſq. zu melden / Wie. v. ſq. berühmten. c. 2, v. 5, Denn / was. v. 8, Tugend-Sch. v. 10, genommen. p. 28, *med.* Magnificentiſſ. p. 29, l. 14, nos tut. l. 17, compleamus. l. 24, contig. p. 30, l. 8, *a f.* das geſampte. l. ult. Er wäre. p. 32, l. 2, *a f.* Auf einem Berge überwandt. p. 39, (*non*, 29) l. 9, wären. p. 40, l. 11, Es heißet. p. 41, l. 3, miteinander / G. p. 42, l. 4, leken. p. 43, c. 2. l. 7, erſchreckt. p. 45, c. 2, l. 5, *a f.* Scribenten. p. 47, *med.* quinquenn. p. 51, c. 2, f. ausgiebt. p. 55, *med.* Thore. p. 59, *non*, 70. p. 64, c. 2, l. 9, Gebet. p. 66, c. 2, l. 12, *a f.* commend. *et mox*, unanimis Pr. p. 69, c. 2, PENNAL. p. 85, *med.* cortina. p. 86, c. 2, *med.* omnino. p. 87, l. 10. ſeq. Tezelianis, *med.* averſentur. p. 89, c. 2, *poſt m.* Heldrung. p. 90; l. 7. dilectus. ib. HANNEKENI. p. 93, l. 7, *a f.* obloqu. p. 94, l. 11, *del.* atque. c. 2, l. 12, volet. p. 95, *ante lin.* valeas. l. 10, *a f.* lex, niſi. p. 96, l. 11, *a f.* parcebat. c. 2, l. 22, *a f.* praeſcriptionis. p. 97, l. 5, *a f.* CHRIST. p. 98, l. 1, BENIAMINEM. l. 24, *a f.* Caeſarea. p. 100, cIↃ IↃ ccII. c. 2, l. 13, ex eadem. p. 105, l. 12, *a f.* Si, ex. c. 2, l. 2, *a f.* incunabulis. p. 106, l. 13, *a f.* agnoſcimus. c. 2, l. 20, Goerlic. l. 31, Polonum. l. 2, *a f.* fingat. p. 107, l. 13, Goerlic. l. 23, Polonum. c. 2, l. 3, *med.* vobis. l. 9, *a f.* ut, ſi. p. 108, c. 2, l. 9, praeeſtis. l. 12, nota, cogn. l. 24, aegroto, deb. l. 35, una princ. l. 39, ſtudium comp. p. 109, *poſt tit.* l. 3, cumulavit, *et*, exempl. p. 110. l. 4, noſtri, patr. c. 2, *poſt tit.* l. 5, coeperint. l. 15, *a f.* pariter, ac. p. 111, *med.* beneficiis. p. 126, l. 4, dis-ceſſ. l. 22, *add.* Ioannis Friderici. l. 32, 33, Boiemus, Fabricius, Friderichus, S. p. 127, l. 22, proferrent. l. 33, Creſſollium et Claud. l. 37, certe, in. p. 128, l. 13, fuerint, ornante. l. 16, Fabricio, pr. p. 129, l. 7, adepti, d. l. 4, *a f.* commonef. c. 2, l. 20, ſobria. p. 134, c. 2, l. 25, *a f.* fomite. p. 137, l. 15, *a f.* verae. p. 138, l. 7, pro-ſpere. l. 24, in cives. p. 139, c. 2, l. 13, *a f.* alumnorum. l. 4, *a f.* inſtituto. l. 3, *a f.* omnes ac ſing. p. 140. *poſt tit.* l. 1, Si, qu. l. 3, *a f.* et incr. et incr. p. 143, l. 22, ſap. mutuaretur. c. 2, l. 29, ſtudioſorum. p. 144, l. 25, et exp. l. 15, *a f.* Calvinianas. l. 10, *a f.* quor. p. 145, l. 11, AVGVSTVS. l. 17, prorupit. l. 20, *a f.* pr. eſt, quod in. l. 9, *a f.* referebant. p. 146, l. 18, ampl. loco. l. 23, hinc. c. 2, l. 11, noc ſuo. p. 147, l. 3, et-iam. c. 2, l. 5, Auguſtinian. p. 148, l. 22, *a f.* meae. c. 2, VVITTEBERG. p. 149, l. 30, i. *et* 17 *a f.* Melanchthon. l. 2, *a f.* Crell. c. 2, l. 7, Superintend. l. 31, Pomeran. l. 16, *a f.* Leonard. l. 10, *a f.* Plavienſ. p. 150, l. 14, Eccleſiarum. l. 23, *a f.* VVurtz. c. 2, l. 2, ſatis cel. l. 15, ill. Portae. l. 18, *a f.* Sagitt. p. 151, l. 22, Bartholomaeus. c. 2, l. 24, *a f.* Eccleſ. p. 152, c. 2, l. 15, *del.* Vitus Ortel. l. 20, Bartholomaeus. l. 28, Chriſt. VVacke. l. 7, *a f. del.* Sal. Alb. Nor. l. 3, *a f.* Tandl. p. 153, l. 1, Banzer. l. 22, *a f.* Deutſchm. c. 2, l. 19, VVittebergenſia. p. 154, c. 2, l. ult. iisque. p. 155, l. 17, fuerit. c. 2, v. 6, unus. p. 156, l. 4, eſſet alius, inc. l. 9, erat, me. l. 21, praeſtare. p. 157, l. 12, *et* 15, Specimen. l. 23, mandare. c. 2, l. 2, prodeunt. l. 13, a-ptiſſ. l. 17, provinciae. l. 10, *a f.* Chriſtianae cauſa, longe. p. 158, *tit.* aul. Dreſd. l. 2, *a f.* Chriſtiano. l. ſq. Laurentium. p. 159, c. 2, l. 26, ad alterius. l. 9, *a f.* 1457. p. 160, l. 19, *a f.* tua. c. 2, v. 6, Inſan. v. 14, *a f.* curſu. p. 161, *in tit.* VITEMB. p. 162, l. 10, *del.* quidem. l. 34, quum tamen, al. ſe. l. 37, praefetur. l. *a f.* abundarit. p. 163, l. 2, Vra-tisl. l. 10, *a f.* officii. l. 3, *a f.* viginti. c. 2, l. 19, Car-pz. l. 20, *a f. del.* que. p. 164, c. 2, l. 19, Iuſtinianaeum. p. 165, l. 10, efficacisque doctoris. c. 2, l. 15, *a f.* nos. p. 167, c. 2, CRVLL. p. 169, CHRISTOPHORI. c. 2, l. 13, *a f. pro*, gente, *rep.* Nobilis. p. 172, l. 22, quod, l. 24, iri, p. p. 173, c. 2, l. 13, factitant. p. 174, c. 2, l. 24, *a f.* cui, rec. l. 3, *a f.* uni, v. p. 175, c. 2, l. 10, educarit. p. 178, l. 7, et l. f. 8, Albim. p. 179, l. 21, Albis. p. 180, c. 2, l. 15, *a f.* leges.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-322977-p0201-5